






2
6
5

















NOVAE RECOLLECTIONES, ET COMPILATIONES

QVÆ PERTINENT AD PRAXIM

LIQVIDATIONIS INSTRVMENTORVM

IVXTA FORMAM LAVDABILIS RITVS M. C. V.
EORVMQVE EXEQVVTIONEM

AEditæ per V. I. D.

MARCVM ANTONIVM CAELIMA
A Macchiagodana Prouin. Comit. Molisij

Cum Summarijs, & Indice Copiosissimo.

SVPERIORVM



PERMISSV.



NEAPOLI, Ex Officina Ludouici Caualli, M.DC.LXVIII.

EXPENSIS IGNATII RISPOLI.



EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO MARIA DE AVLOS DE AQVINO DE ARAGONA,

MARCHIONI PISCARIÆ, &c.





Pportunus venio felici omine, sed feliciorem, imò felicissimam sortem amplitudinis tuæ veneraturus Excellentissime Domine. Dulcisona amicorum suatio ad has Iurium Recollectiones consarcinandas, meum impulit ingenium; eorumdem modo carorum impulsus sub publicæ vtilitatis prætextu illas propellunt ad auras perurgent ad lucem. Doleo obtutus non habere Aquilinos, traduntur sanè, non se ducunt, quo se fata volunt; sed dulci amoris impetu, sed suauis cordis vinculo; Vera etenim amicitia, verax cordis ligamen est, solamenq; traduntur in hoc per amplum totius terrarum orbis Emporeum, nesciæ an nebulorum derisus, & cachinnos, vel concinnos sapientium plausus, anuersuras momorum calumnias, vel laudes eruditorum cordatas, an latrantium dentes, & vulnera, vel blandientium proborum voces

ſint, & mercaturæ præconia. Exeunt tamen ad vtrumq; paratæ, ſcientes prȩſentium tempeſtatum mores, antiquis minimè eſſe meliores, neq; propriam, conditione maiorum eſſe maiorem. Quem aureum diſertiſſimæ fecundiæ fontem conuiciorum pede Camelis infeſtiores, non pertubarunt iſtæ ranæ limoſæ? Quem ſtylum eloquentiæ calamiſtris ornatum virulentis ſcōmatibus non infecerunt necato verborum delectu, iſta alienæ gloriæ ſtynphalia monſtra? Quem calamū inculpata omninò ſcripta, ac propè cȩleſtia dictitantem dicteriis guaſſatum, ipſa crudelitate crudeliores, iſti inuidiarum furiarūuè lenonos, nō pupugerunt? Quem Auctorem, & ſi inflatis, & reſonantibus buccis fama extulerit ad Sydera, Critici Veſpilionis iſti tantam nominis claritatem Ariſtardo peiores inter fetidas irriſionum tenebras non funerarunt? nec de ſubſannato tantum loquor Ouidio, ſeù de villicato Virgilio, aut de notato Arpinatæ. Sanctiſſimis Romanæ Cathedræ Patribus, doctiſſimis omni calculo viris, quorum memoria in benedictione eſt, quorum nomina ſuper coruſcantium Planetarum concurſus exarata inſpiciuntur in Aſtris; Quorum doctrina fulget Eccleſia, vt Sol, & Luna, hoc ipſiſſimum contigiſſe hiſtorica teſtantur monumenta. Vnum liceat ex his ſciolis hominem in medio afferre. Qui veluti ſecundus lucifer in lateribus habitans Aquilonis perfricata fronte lingua pluſquam venenata, ore quam impudentiſſime in Stellas Dei, hoc eſt in Sanctos Doctores inſaniens tale virus euomit. Originem iam dudum diris deuoui, Chryſoſtomum nullo loco habeo non eſt niſi loquaculus. Baſilius nihil valet, totus eſt Monacus, ne pilo quidem illum redimerem. Ciprianus Martyr infirmus Theologus, Sanctus Hyeronimus ſcripſit in Mattheum, & in Epiſt. ad Galat. & ad Titum, ſed quam frigidæ; Ambroſius ſex libros ſuper Moſe, ſed quam ieiunus. Aguſtinus nihil ſingulare habet de fide. Quid inſultius? Quid inſanius? Quid inſolentius? Quid indignus? reperies iſta lima Lutheri in vniuerſa rerum ſtomacoſa colludiè? certè nihil hinc conſuetudo inole-

ſcit,

IV

ſcit, nullam mentis ſub prælo gemere prolem, quin inter Potentum bracchia eorum fulcetur munimine, patrocinio fruatur, confidat; ſperetque perpetuò ſè ſè fruituram; hæc omnia mihi cogitanti in tui Clientelam Excellentiſſimæ Domine hoſce labores meos adſcribere penſitaui: nomine tuo, tanquam Numini flexis genibus adhærere, cedratum eſt, pignus præſefert immortalitatis; meis legalibus materijs debitum, cum legũ volumina quamuis cartacea, & terræ infoſſa inter Cedri tubulas Nume Pompilius iure optimo ad cariem deuincendam, tineamq; ſuperãdam an collocauit. Velut Cliens in te venerabundus, tuoſque peruolutus ad pedes tractatus iſte videbitur. Tuum erit iniurias ſibi erogatas vendicare, inquiente Cicerone in Verrem. Clariſſimi Viri noſtræ Ciuitatis, hoc ſibi pulcherrimum, ducebant ab hoſpitibus, Clientibuſque ſuis iniurias propulare. Eo vel maximè quia ſibi dependebantur, non dicam ingrati animi argumentnm; nam vt inquit alibi Tullius: ſi vitam pro tua dignitate effunderem, nec minimam quidem tuorum in me meritorum partem viderem aſſecutus. Sed quia Recollectionis, ſeù compilationis nomen datura proſpera ſortitione potitur, tu enim venuſtate per graui in ſummitate labiorum compilas, & Platonis fauos, & pinderica mella; in animo cum ſingolari prudentiam prætioſiſſimam virtutum omnium ſuppellectilem, in manu, & miſericordiæ Sydera, & iuſtitiæ fulmina in moribus deniq; Acticam ſuauitatem cum Socratico compilatam oſtendis ſupercilio. Tu ſtrenui valoris femina quæ ſparſim in Auis, & Atauis militaris olim proclamauit immortalitas in pectore recollecta gereus, veluti in fertuli campo iam iam admirabundus orbis in copioſam cernit matureſcere meſſem, imo cecitatis inſimulandus eſt, qui non vidit te in ingenio cum acumine profunditatem in ore tullianam enargiam cum religione in lingua cum Chriſtiana pietate Florida Rhetorum argumenta, in verbis cum amenitate Muſarum caſtigatam oratione in fronte cum Maieſtate Charites, in vultu pulchritudinem cum cenſura pudoris, in riſu cum

affa-

affabilitate modestiam, in gestibus cum lepore grauitatem recollegisse, & recollectas possidere experimento probatur. Accipe igitur Excellentissime Domine, quæ tot titulis tua sunt hilari fronte, & si munusculum existat. Deus namq; Benedictus in sui cultum parua incenti grana dum assumuntur ab igne gratanter acceptare non dedignatur. Viue sub assiduæ felicitatis incrementum ad Nestoreos annos.

Excellentiæ Vestræ

Humilissimus, & Obligatissimus Seruus

V.I.D. Marcus Antonius Celima.

V

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Philamarino Archiepiscopo Neapolitano, sub die 29. mensis Octobris 1666. fuit dictum quod Reu. P. D Gaetanus de Afflicto reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinati Vic.Gener.

Can.D.Matthaus Renzi S.T.D. & S.Off.Consul.

VIdi Opusculum ad Praxim liquidationis Instrumentorum à studioso Viro V.I.D. Marco Antonio Cęlima elaboratum cumque nihil in eoque de Ecclesiastica disciplinam offendat, deprehenderim Typis tradi posse censeo. Neap. ex AEdibus Sanctæ Mariæ Angelorum die 24. Maij 1667.

D.Caietanus de Afflicto Cler.Regul.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 17. Iulij 1668. fuit dictum quod stante relatione supradicti Reuisoris Imprimatur.

Metellus Talpa Vic.Gen.

Can.D.Matthæus Renzi S.T.D.& S.Off.Consul.

Eccellentiſſimo Signore.

IL Dottor Marc'Antonio Celima ſupplicando dice à V. E. come hauendo da dare alle Stampe vn ſuo trattato *De Liquidatione inſtrumentorum*: perciò ſupplica l'Eccellenza Sua di commettere la reuiſione di quello à chi li piacerà, e l'hauerà à gratia, vt Deus.

Magnif. V. I. D. Andreas Comus videat, & in ſcriptis referat S. E.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Nauarra Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 14. Nouembris 1667.

Sebaſtianus.

Excellentiſſime Domine

IVſſu Excellentiæ Veſtræ perlegi libellum, ſiue opuſculum, cui titulus eſt, *Nouæ Recollectiones, & Compilationes, quæ pertinent ad Praxim Liquidationis Inſtrumentorum per V. I. D. Marcum Antonium Cælima* accuratè compoſitum, in quo nihil contra potentiſſimi Domini noſtri Regis iuriſdictionem inueni, nec contra eius Regalias in hoc Regno practicatas; propterea Typis poſſe imprimi cenſeo, ſi Excellentiæ Veſtræ videbitur. Neap. decimo ſeptimo kalendas Septembris 1668.

Excellentiæ Veſtræ

Humillimus Seruus

Andreas Comus.

Viſa ſupradicta relatione, Imprimatur, & in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota R. Carrillo R. Nauarra R. Capiblancus R.

Prouiſum per S. E. Neap. die 27. Auguſti 1668.

Sebaſtianus.



NOVÆ RECOLLECTIONES, ET COMPILATIONES, Quæ pertinent ad Praxim LIQVIDATIONIS INSTRVMENTORVM IVXTA FORMAM LAVDABILIS RITVS M.C.V. Eorumque exequutionem

AEDITAE PER V.I.D.

MARCVM ANTONIVM CAELIMA à Macchiagodana Prouin. Comit. Molisij.

SVMMARIVM.

1 *Deus miro ordine omnia gubernanda pręcipit.*

2 *Ordo est modus agendi, & fundamentum omnium rerum.*

3 *Præmissa, de quibus Auctor intendit tractare.*

4 *Instrumenti etymologia unde sumpta.*

5 *Instrumentorũ species quot sunt.*

6 *Inuocatio Diuini Nominis an sit necessaria in instrumentis, & an sit de substantia contractus.*

7 *Anni tempus Natiuitatis Domini nostri Iesu Chri-*

sti an requiratur, & sit necessarium in instrumẽtis.

8 Indictio, & nomen Regis an requiratur in instrumẽtis.

9 Indictio, & annus an sint ponendi per extensum, & quomodo.

10 Dies, mensis, & locus contractus, an sint necessarij in instrumentis.

11 Instrumentum non debet scribi per cyfras, sed debet esse clarum.

12 Notarius debet esse publicus, & debet scribere nomen, & cognomen Iudicis, ac Patriæ, & ipsius met Notarij, & debent esse rogati vna cum testibus.

13 Notarius debet esse creatus à Rege.

14 Longa obseruantia nõ est mutanda.

15 Notarius an possit scribi facere instrumenta per alium, & subscribere, quomodo, & quando, & quid de rogitu, & n.17.

De forma subscriptionis faciendę.

16 Qui se subscribit, censetur per fictionem totum scripsisse.

18 Notarius debet ponere in instrumentis suum solitum signum, nec permutare, nec vti signo alterius.

19 Subscriptio Iudicis ad cõtractus an requiratur in instrumentis? & quid de subscriptione testium, & nu.21.

20 An requiratur etiam testium descriptio? & à quo fieri debet? & an instrumentum valeat sine descriptione, n.24. & 34.

22 Quot testes requiruntur in instrumentis, quæ cõtinent summam infra libram auri, & vltra libram quot, & libra quot aureos contineat; & quot testes in instrumento testamenti.

23 Testes an debeant esse litterati; & quid de illitteratis? an debeat se subscribere signo Crucis.

25 Notarius an debeat esse rogatus de confectione instrumẽti, & an censeatur

RECOLLECTIO Prima.

CVm Ritus iste, qui incipit: *Item quod si Debitores* 166. in ordine, positus super liquidatione instrumentorum sit frequens, & quotidianus, quàm magna sit eius auctoritas, rerum magistra experiẽtia comprobauit: Quare attendens in iudicijs quotidianam vicissitudinem, adhunc Ritum casus occurrẽtes, pro laborum gratitudine instituti copulare; Sed quia par-

parua ingenia, nisi Domini nostri Iesu Christi Saluatoris gratia foueat, grãdes, & graues materias nõ sufferunt; Ideò, vt vberrimos huius Ritus fructus recolam; ad eundem Dominum nostrũ Iesũ Christum meum Redemptorẽ recurro, vt propter eius magnam misericordiã mihi intellectum concedat, qui præcõcipere possit rationem, quæ discernat, & memoriam, quæ cõseruat: & propterea cum Propheta clamabo: *Domine labia mea aperies, vt os meũ possit annunciare veritatis amplitudinem eiusdem Ritus*, libellum hunc legentibus, ad laudem, & gloriã eiusdem Supremi Cęli, & terræ, qui machinam totius mundi miro ordine construxit; ita etiam inferiora omnia suo ordine guber-
1 nanda pręcepit, teste Apostolo ad Cor. p. p. c. 14. vbi inquit: *Omnia honestè, & secũdum ordinem fiant vobis, vt indè boni nihil emergat, vbi ordo deficeret*; imi-
2 tando eiusdem vestigia, cũ ordo sit modus agendi, sine quo nihil rectè agitur, est semper seruandus, argumento *l. 1. ff. de origine iuris*, quia est fundamentum omnium rerum, & verborum; nam & cum aliquis vult aliquid dicere, vel postulare, siue de aliquo tractare, debet suum præmittere exordium, per quod animum benigni Lectoris constituatur, & faciliùs aptaretur ad intelligẽdum, quod in eo contineatur: Ideo per ordinem pręmitto me tractaturum, & consideraturum, quinq; Recollectiones, quæ in dies occurere possunt super instrumentis liquidandis, v3.

3 Primo. A quibus debeãt confici instrumẽta, & quæ solemnitates in eis requirantur, adhoc vt possint præsentari, iuxta formam Ritus M. C. Vicariæ.

Secundo. Præmittam, quod instrumenta debent ex omni parte esse liquida, vt possint præsentari, & liquidari; & quæ dicantur li-

liquida instrumēta, & quæ illiquida.

Tertio. Contra quas personas possint instrumēta liquidari, & præsentari, iuxtà formam Ritus, & à quibus possint præsentari, vel non?

Quarto. Præmittam ordinem procedendi in causis super liquidatione instrumentorum, iuxta formam Ritus.

Quinto, & vltimo. Præmittam tractare de multis exceptionibus, quæ posũt impedire liquidationē, & quæ non?

4 Quo verò ad primam recollectionem pręmitto, quod instrumentum dicitur, quia per illud instruitur causa; & sũpta est etymologia à verbo instruo, eo quod veritatē instruat; & quæ inter contrahentes gesta sunt contineat. *l. 1. ff. de fide instrumentorum*:
5 & licèt multæ sint species instrumentorum, tamen in hoc meo libello, seù tractatu, loquor de instrumēto publico, à Notario publico facto, vel reassumpto solemniter, quo aliquid fieri, dari, vel solui sub pœna, vel iuramenti appositione, Iudex ad contractus præcipit: quod quidem instrumentũ ad hoc vt possit præsentari, & liquidari secundum formam laudabilis Ritus M. C. Vicariæ, oportet, sit confectum solemnitatibus enumeratis per *glos. in l. generali, C. de Tabellarijs lib. 10*. Ex qui-
6 bus recēseo, quod in principio apponantur inuocatio Diuini nominis, quia omnia quæ facimus, in nomine Domini facere debemus. *Can. non licet 26. q. 5*. Ideo quod si hæc inuocatio Diuini nominis à Notarijs, qui consueuerũt hanc inuocationem apponere, & adest consuetudo in loco, vbi celebratur cõtractus, siue stipulatur, & omittatur, secundùm opinionem *Francisci Antonij de Rubertis in suis considerationibus, consid. 1. nu. 5.* tenet, quod instrumentum redderetur vitiosum, & nõ pos-

posset liquidari, quia dicta
inuocatio Diuini nominis,
stante quod reperitur in-
troducta per consuetudi-
nem, est de substantia con-
tractus, & si omittatur, cõ-
tractus redderetur nullus,
vt per *Galterius in sua pra-
xi de liquidatione instru-
ment. pr. primæ. par. rubr.
in publica forma sumptum*,
nu. 2. Item requiritur per
decretum PP. Nicolai, *can.
In nomine Domini*, *dist.* 23.
7 vt apponantur anni Nati-
uitatis Domini nostri Iesu
8 Christi; Indictio, & nomẽ
Regis regnantis in Regno,
vt in *Auth. vt præponatur
nomen allegatum per præ-
citatum Galterium in dicta
rubrica*, *nu.* 3. 4. & 5. qui
multos cumulat, & dicit
9 etiam, quod omnia supra-
dicta debent poni, & scri-
bi per extensum, causa
euitandarum fraudum, &
non per abacum, seù nu-
merum aritmeticũ, vt per
*glos. in constitutione Regni,
quæ incipit: Cõsuetudinem,
quam olim sub rubrica de
instrumentis conficiendis*:
& *Marinum Freccia in suo
tractatu de liquidatione in-
strumentorum in* 1. *p.* *n.* 4.
10 Oportet etiam, vt appona-
tur dies, mensis, & locus
vbi contractus celebratur;
& instrumentum debet es-
se intelligibile, & clarum,
& nõ scriptum per cyfras,
19 quæ legi, & intelligi non
possunt. Ad quid autem
cyfræ sint inuentæ, vide
*Marinum Freccia in tract.
de feudis*, *lib.* 1. & narrata
per *Alex. cons.* 190. *nu.* 8.
vol 6. Itẽ requiritur, quod
Notarius sit publicus, &
vt interueniat Iudex ad cõ
tractus, & testes, vt in
*Const. Regni, instrumento-
rum robur. & in Const. Ba-
iulos*; qui Notarius in in-
strumento debet scribere
nomen, & cognomen Iu-
dicis, & patriæ, & ipsius-
2 met Notarij: nomina verò
testium non describuntur
in corpore instrumẽti, sed
in calce ipsius instrumẽti;
in corpore solùm debet
fieri mentio, quod fuerunt
rogati, tàm Iudex, quàm
Notarius, & satis est dice-
re

re, infrascripti testes rogati, &c. *Bald. in leg. 1. C. plus valere quod agitur, & in leg. contractus, C. de fide instrumentorum.* Quas solẽnitates videmus seruare à Notarijs in initijs quorũcumq; instrumentorũ describendorum, etiã à *Galterio in dicto præcitato loco n. 17.* formula hic propterea non repetam.

13 Sed Notarius debet esse legitimè creatus à Rege, habente potestatem, non obstante, quod Notarius sit oriundus de Terra Baronis, & nõ Demanij, quia hodiè instrumenta conficere potest, quæ plenam fidem faciunt, & obtinent, dumodo sit à Rege creatus, ità fuit semper cõmunitèr seruatum, & obseruatur, & quę antiquam ha-
14 buerunt obseruantiã, minimè mutanda sunt. *l. minimè, ff. de legibus,* non est ergo derogandum ei, quod semper certam interpretationem obtinet. *Isernia in præludijs feudorum, nu. 25. & in tit. quæ sint Regalia, cap. 2. incip. contrahentium, nu. 68. Marinus Freccia de liquidatione instrumentorũ in pr. primę partis, nu. 19.* Quia non obstat, quod nõ sit de Demanio Regis, idẽ *Andreas de Isern. in cap. 2. quæ sint Regalia, nu. 68. & Felyn. cap. 1. nu. 19. de fide instrument.* & ibi *Abb. & Bal. in lege 2. C. quando fiscus, & priuatis.* vide *Constit. Regni in locis demanij, sub rubrica, de iudicijs:* & quãdo Notarius iusto impedimẽto esset impeditus, poterit instrumenta scribi
15 facere per alium, dummodo se sua manu subscribat, vt per Card. *Floren. & Antonium de Butre in cap. fin. de offic. deleg. Alexan. cons. 50. in vol. 3.* Ratio est, quia qui se subscribit, censetur,
16 totum scripsisse per fictionem, vt rectè testatur *Iason. in l. si ita stipulatus fuero, §. Grisogonus, nu. 5.* vbi multas adducit rationes, *ff. de verb. oblig. t.* Vel quãdo habere potestatem in
17 suo priuilegio, in subscriptione debet facere mentio-

tionem de sua potestate, vt per *Afflict. in d. Constit. Baiulos omnes, n.27.* & ita pluries vidi fuisse seruatũ; & si Notarius scribit manu sua, in fine ipsius instrumenri debet facere mentionem, quod ipse scripsit; & quod dixi, quod Notarius possit per alium Notarium scribi facere instrumentum cum sua subscriptione, cuius forma talis esse potest, vt primo se subscribat is, qui scripsit, & deinde se subscribat, qui mandauit, in hunc modũ: *Ego N. Notarius, &c. suprascripta omnia, & singula fideliter, & legaliter scripsi, & subscripsi, & exẽplaui ex protocollis, rogationibus seù scripturis publicis, & authẽticis infrascripti Notarij N. de eius iussu, seù mandato, quod facere potui, seruata forma sui priuilegij, & meum solitum signũ opposui, & signaui, &c.* & deindè Notarius, qui iussit, subiungat: *Ego N. Notarius &c. subscriptis omnibus, & singulis in dicto instrumento contentis, præsens fui, & rogatus scribere feci ex scripturis, & publicis meis protocollis originalibus, & authẽticis scriptis, eaq; de ipsis scripturis, & protocollis, seù schedis leuari, & exemplari feci per supradictum* Notarium *publicum; quod facere potui seruata forma mei priuilegij. Et in fidem de præmissis hic me subscripsi, & signaui &c.* Quod intelligendum est, prout Doctores ipsi loquuntur, de instrumẽtis publicis, & in forma probante, & illa subscribere, vt supra; non autem de Rogitu, seù protocollo. *Doctores in cap. inter dilectos, de fide instrumentorũ. Cassaneus cons. 63. num. 31.* qui multos citat *Doctores. Abb. Panormitanus in dicto cap. inter dilectos eod. tit. n.7.*
18 Item requiritur, quod Notarius apponat suum solitum signum, *Specu. in §. breuiter, nu. 11. in tit. de instrumentorum editione. Iacob. de Aretino, & Imol. in leg. ad testium, §. si quis, ff.*

de test.glos.in §. *sedet si instrumẽta, auth. de fide instrumẽtor. & glos. in* §. *& item lex Cornelia institutionibus de publicis Iudicijs Felyn.in d.cap.*1.*n.*13.*cum Concordan. per eum alleg.* Nec potest Notarius suũ solitum signum mutare: & si Notarius in instrumẽtis mutaret suum signum, vel poneret vnum signum hodie, & cras alterum, puniretur pęna falsi. *Iugl.de Cuneo in l. comparationes, Cod. de fide instrumentorũ. Bald. in proemio Codicis.* Nec potest vti signo alterius Notarij, vt per *Felyn. in dicto c.*1.*n.*13. *& Bal.in tit.de pace constan.*§.*pacta, &* §. *die lunæ. & Corneus cons.*70. *incipit duo in littera A.& in cons.*108. *incipit placet in littera D. in* 4 *parte.* Quia Notarius debet vti eo signo, quem posuit in principio, vel in fine protocollorum, & trahitur ad omnes cõtractus, ibi scriptos præcedentes, & sequentes. *Bart.& Alexan.post eum,in leg.si quis, ex argentar. in* §.*si initium in repetit.*22.*col.ff.de edẽd.* & requiritur in omnibus instrumẽtis publicis factis per ipsum Notarium, aliàs instrumentum nõ valeret. *Bart.in proemijs, ff.ff.col.*2.

19 Similiter requiritur Iudicis ad contractus, qui interuenit in stipulatione, subscriptio, vt in *Const. Regni instrument. robur.* Requiritur etiam testium, qui fuerunt præsentes in stipulatione contractus subscriptiones, vt in *d.glos. in dicta leg.generali, cum Concordantijs allegatis per Innocentium, Felyn. Anton.de Butre in cap.* 1. *de fide instrum.& per Specul.eod.tit.* §.2.*cir.fin.* Quæ descriptio

20 debet fieri per Notarium, *l.in donationibus,& ibi gl. & Bart. C.de donationibus, & in* § *Si verò,in verb, Ad hoc,& ibi glos.Auth.de hæredibus,& falcidia, & de cõsuetudine ita obseruatur per Notarios.* Et huiusmodi descriptio per alios Notarios solet fieri in corpore instrumenti prope principium, ante narrationem

facti sui contractus, & per aliquos in calce instrumēti, vt supra dictum est.

21 De iure verò huius Regni, vltra dictam descriptionem, requiritur subscriptio dictorum testium eorum proprijs manibus, vt in *d. constit. instrument. robur.*

22 Aduertendum tamē est, quod si instrumentum cōtinet summam infra librā auri, sufficit subscriptio duorum testium ad minus: nam licèt auri libram non excedat quoad capitale, tamen respectu tertiarum debitarum, maiorem continet quātitatem, pro qua liquidari peteretur; fuit decisum in S. Cons. ad relationem Magnæ Curiæ *V*icariæ, quod potest liquidari cum subscriptione duorum testium, vt testatur *Galter. in d. præcitato loco n. 25. in verb. Adde circa.* Si verò instrumentum est vltra librā auri, requiritur subscriptio saltem triū testium, vt in dicta *Constit.* Libra autem auri continet aureos septuaginta duos: *l. quoties, cap. de susceptor;* nisi esset instrumentum testamenti: nam tunc requiritur subscriptio septē testium, vt per *Afflict. in d. constit. instrumentor. robur, nu. 4.*

24 Hic quæri potest, si instrumentum fuisset confectum in aliquo loco, in quo non est copia litteratorum; an sufficiat, quod testes se subsignent signo Crucis proprijs manibus, & Notarius faciat mentionem, quod testes ne sciant scribere, & videtur dicēdū, quod sic, per ea, quæ *Lucas de Pēna in l. nulli, §. omnia, C. de numero, in verbo Mentionem lib. 12.* *Andreas de Isernia, & glos. in constitut. instrument. robur. in verbo assumat, per tex. in l. fin. in fine. Cod. de iur. deliberan. et Cod. de testa. l. fin. §. fin. &*

24 *ibi notata.* Sed *Afflict. in cō stit. pdicta, n. 5.* mouet quæstionem, an valeat instrumentum cum subscriptione testium tātùm, sine descriptione facta per Nota-

rium

rium; & concludit, quod si testes sunt omni exceptione maiores, valet instrumentum absq; descriptione Notarij: sed in iudicando aliter de iure sentirem, & potius essem cum opinione Domini *Marini Freccia super liquidatione instrumen. in* 1.*par. nu.*16. vbi vult, quod testes, descripti per Notariũ, hodie propria manu eorum se subscribant in instrumẽto; mouetur per *text. in dicta constit. instrument. robur*, & annuit, quod hoc sit additũ solemnitati Iuris Ciuilis per ipsã *Constit.* quia auget maiorem solemnitatem, ad euitandum falsitates, vt in principio dictæ *Constit.* & quando dicit quod testes se subscribant, vult quod sint probatæ fidei, & omni exceptione maiores, adeò, quod ex verbis *tex.* colligitur, cessare rationem positam per *Afflict.* quod sufficiat subscriptio testium omni exceptione maiorum, absque descriptione; & maximè quia antiqua, & quotidiana consuetudo, & vsus Notariorum descriptionem, & subscriptionem copulatiuè obseruauit, & obseruat: & forma tradita per dictam *Const. Regni* requiritur etiam quod Notarius sit rogatus de confectione
25 instrumenti, vt per *Bald. in apostillis in leg. fin. ff. de fide instrument.* vbi dicitur, ꝙ Notarius rogatus præsumitur rogatus, quod cõficiat instrumentum cum clausulis solitis, & cõsuetis, vt per eundem *Bald. in Rub. Cod. de fid. instrum. col.*5. *& col.*10. *& Bart. in Aut. Rogati, Cod. de testib. & in l.*1. *Cod. de fid. instrumẽtorum. lib.*12. *in* 10. *col.* Et ad tollendam difficultatem, an fuerit rogatus notarius de tali rogitu, debet in instrumento attestari; & propterea notarij solẽt dicere in instrumentis, quod fuerunt rogati, & eis
26 de rogatione credendum est, vt per *Speculatorem* in loco præallegato *nu.*13. *& Felyn. in dicto cap.*1. *n.*20.

27 Et rogatio debet fieri ab his, quorũ consensus actus dependet, vt per *Abb. in d. cap. 1. & Afflict. in d. Constit. Baiulos omnes nu. 29. & Bal. in rub. Cod. de fide instrument. Paul. de Castro in l. Hæredes palam, §. in testamentis super glos. 1. ff. de testam. & allegat text. & glos. in §. Nos autem. Auth. de Tabellion.* vide etiam *Bart. in l. sciendum, circ. fin. ff. de verb. obligationibus.* vbi dicit, quod si notarius scribat, ego notarius rogatus scripsi, præsumitur rogatus à partibus, *glos. in Auth. rogati, Cod. de testib.*

28 *V*trum autem notarius filius possit conficere instrumentum in causa Patris, vide *Bar. & Paulum de Castro in l. seruus, ff. de testibus*; nam in testamento nuncupatiuo potest sibi, & patri adscribere legatum, & fideicommissum, quod secus est in testamento in scriptis, seu sigillato; nam tunc non potest nec sibi, nec patri legatum, vel fideicommissum in testamẽto adscribere, & si adscripserit, pæna *legis Cornel. de falso tenetur, l. 1. §. inter filium, ad leg. corn. de falsis, & l. Senatus Cons. Cod. de his, qui sibi ascribunt*, & tale relictum non valet. *l. si testator, C. eodem.* Et ratio diuersitatis est, quia ideo in testamẽto nuncupatiuo potest ascribere, & valet legatum, quia in eo potest purgare, & probare innocentiam suam per testes, qui interfuerunt, & audiuerunt voluntatem testatoris. *Bald. in l. 2. C. de his, qui sibi adscribũt. Raphael. Cusman. cons. 79.* Quidam fecit testamentum. *Guald. de arte testandi, tit. de legat. caut. in nu. 3. Mantica de coniecturis vltimarum voluntatum lib. 1. tit. 6. n. 5.*

29 Quod non est in testamẽto in scriptis, seù clauso.

Nec notarius potest sibi ascribere procurationem passiuè, quia non potest sibi ascribere auctoritatem, & officium, *Bald. in l. Iudicis in fin. Cod. de fid. instrumentorum*; & Notario asserenti

renti de commissione sibi facta, & iurisdictione sibi attributa, non creditur. *Hostien. Ant. Imo. & Abb. in cap. Quoniam contra de probat.* quorum opinionem veram, & communem dicit ibi *Felyn. col. 21.* eamq; tenuit *Bal. in l. iurisiurādi, Cod. de test. & in dicta lege Iudicis, Cod. de fide instrumentorum. Abb. in cap. Fraternitatis de Clericis non residentibus*; Vnde voluit *Bal. in dicta l. Iudicis*, quod si notarius scriberet procurationem sibi factam, non creditur ei, quia sibi auctoritatem, & officium adscribere non potest. sequitur *Gis. cons. 4. num. 38. Affl. decis. 317. nu. 3. & ibi Vrsill. in add. ad Guid. Pap. quæst. 126. Alexan. cōmunē dicit cons. 213. col. 2. vers. quinimo, vol. 2.*

30 Sed benè notarius potest pro sua vxore conficere instrumentum, *tex. est et Bart. in l. vxori, ff. ad leg. Corn. de falsis*; Nec potest notarius sine causa vrgēti de nocte conficere instrumenta, vt ex *Felyn. in cap. Si scripturam, nu. 9. de fide instrument.* Et quando fiūt instrumenta de nocte, debent accendi tria luminaria, ne de facili personæ subducantur, *l. 1. de ventre inspiciendo*; & si secus notarius fecerit, puniretur de falso, *l. iubemus, C. de testament.*

31 Alia solemnitas est, vt instrumentum partibus legatur coram testibus per notariū, vt testatur *Felyn. in dicto cap. 1. nu. 17. de fide instrumentorum. Afflict. in dicta Const. Baiulos, n. 23. Freccia vbi supra num. 13* Et hoc intelligitur, quando contractus fit primo loco in Rogitu, non autē quādo instrumentum scribitur in forma probante; quia etiā altera parte inscia, & inuita potest in forma publica reassumi, vt idem *Afflict. vbi supra*, & praxis in dies comprobauit.

32 Item requiritur, quod instrumentum publicum ad hoc, vt possit præsentari secundum formam Ritus

ſit ſcriptum in carta de Pergameno, aliàs tãquam ſuſpectum in Regno non faceret fidem, & non poſſet liquidari, iuxta formam Ritus, *Bald. in l. contractus, ſupra eodem tit. ad l. cor. & text. in conſtit. Regni. Conſuetudinem, quam;* Item ſi ſunt inſtrumenta, tãgentia
33 Magnates, ſeu Barones Regni requiritur, quod ſint ſtipulata, & ſcripta per notarios, qui non ſint eorum vaxalli, alioquin eſſent ipſo iure nulla, & nullam fidem facerent, etiam ſi continerent omnia alia requiſita, & ſubſtantialia, vt in *cap.*
34 *Regni, incipit, Non ſine prudentis.* & ſi ſunt inſtrumẽta confecta extra Regnũ, vbi diſpoſitio *Ritus, & Cõſtitutionis Inſtrumentorum robur*, non ſeruatur, nec extenditur, ſed ius commune, ſufficit tantũ deſcriptio teſtium, ſecundum *gloſ. in l. generali. Cod. de tabul. lib. 10. cum Concord.* requiritur, vt de eis habeatur plena fides, & reputentur pro publicis, & authenticis, quod in calce ipſorum inſtrumentorum ſint ſcriptæ litteræ teſtimoniales cum ſigillo inpreſſo officialis,
35 vel vniuerſitatis illius loci, ſeù Ciuitatis, vbi inſtrumenta confecta ſunt, quod notarius, qui ea ſcripſit, ſit fidelis, legalis, & publicus, Regia, vel Imperiali auctoritate, vt per *Guid. Pap. dec.* 481. & teſtatur etiam *Galterius de liquidatione inſtrumentorum ſecunda, primæ partis. rubr. Aduertat, ad debita, & cauſas nu. 22. & nu. 23.* & in *Ritu, qui inpit. Item ſeruat prædicta Curia, quod inſtrumentis, &c.* & de omnibus prædictis ſolemnitatibus, vide etiam *Panorm. in cap. 1. à nu. 3. vſq; ad finem de fide inſtrument. Paul. de Caſtro in l. 1. nu. 4. Cod. de ratiociniјs agi oportet.* vide *Affl. deciſ. 251. & in dicta Conſtitutione, Inſtrumentorum robur, n. 10. in fine;* Vbi etiã dicit, quod ſi non ſunt dictæ litteræ teſtimoniales, poterit ſummariè probari per idones teſtes extra iu-

di-

dicialiter, quod instrumenta sint confecta in loco cognito, prout Romæ, Florētiæ, Papiæ, &c. Si verò in locis incognitis Vltramōtanis, prout Granatæ, Valentiæ, &c. tunc est necessaria fides officialis, seù vniuersitatis, vt in dicto Ritu, & faciũt ea, quę *Bald. in l. exemplum, circa principium, C. de probatione; & Lanfran. in cap. quoniam contra de probatione in in versu Instrumentorum productio in 3. col.* vbi dicit, quod debent portari litteræ testimoniales officialis illius loci in quo degit Tabellio; sed oportet, quod fiat fides, quod instrumentum fuit scriptum à tali Tabellione, quod incipit *sic &c.* & finit *sic &c.* & nō sufficit in eis dici, quod talis est publicus Tabellio. vide *And: de Isern: in cōstit. instrumēt. robor. Alex. cōs. 166. secũda col. vol. 2. et Soc. cōs. 33. col. 3. vol. 1.* & deficiētibus prædictis litteris testimonialibus, nō daretur fides dictis instrumētis, cōfectis extra Regnũ, & ex cōsequēti nō dicerētur publica, nec possent liquidari, iuxta formā Ritus M.C. Vicariæ: & licet instrumēta confecta extra Regnum non habeant requisita per dictam *Constitutionem Instrumentorum robur*, nihilominus possunt præsentari iuxta formam Ritus in Regno, quia quoad solemnitates instrumentorum, consideratur locus, in quo celebratur contractus: & quoad executionem consideratur locus, in quo celebratur contractus; & quoad executionem consideratur locus, in quo executio petitur, secundum *Paul. de Castro, & Alexan. in l. 2. Cod. Quemadmodum testamenta aperiuntur, & Romul. cons.* 243. & simili modo possunt præsentari iuxta dictum Ritum nostrum, stipulata per Nota-
36 rios mortuos, & reassumpta in publicam formam per alios notarios habētes potestatem cum solemnitatibus narratis per *Affl. in dicta Const. Baiulos omnes,*

nam

nam dictus Ritus admittit quæcumque instrumenta, publicam formam habentia. Hic quæri posset, an sсciptura notarij reperta in sceda, seù in fasciculis, etiam si mortuus sit notarius, & testes possint in publicam formam redigi per alium notarium; & an fidē faciat scriptura prædicta?

37 Dico, quod quando scriptura non reperiretur in protocollo, & in quinterno, seu libro protocolli; sed reperiretur in folio separato, seù in fasciculis, vulgò sic dictis, cum alijs scripturis autenticis, in quibus appareret de confectione, rogatione, & subscriptione testium mortuorum, stante, quod dicta scriptura reperiretur conseruata in archiuio authenticæ personæ, prout est notarius, qui habet potestatem faciendi authenticas scripturas, per *Cap. Audientiam de præsūptionibus allegatū per Affl. dec.303. nu.5.* fidem facit, & ratio est, quia scriptura archiuij ex loco auctoritatem, & robur acquirit, vt in *Auth. ad hæc, Cod. de fide instrument. vbi glo. p. n. & vlt. & ibi Bar. in principio,* quem sequitur *Iason. in repet. legis admonēdi n.* 136. *de iure iurand. & Boer.* post alios *dec.105. n.11.* etiam si non sit exemplar, sed exemplum in archiuio repositum. *Iason. in Auth. Si quis in aliquo, C. de edend. col.3. vers. vltra. Bar. follen. 5. & ibi Det. n.23.* dūmodo sit manu publica scripta. *Bar. in d. auth. ad hæc in secunda lettura, in v. pro declaratione huius gl. & Grā. dec.106. n.15.* dixit, ꝙ si reperiātur suprad. requisita, possit reassumi, & in publicā formā redigi. Verū pro materia pręd. remitto benignos lectores has meas recollectiones, & cōpilationes *ad Castr. cōs.306. 1. vol. Gapic. decis.171. Menoch. de arbitr. iud. lib.2. casu* 187. *& de præsūp. lib.2. præs.8. per tot: & sign. n.7. Curs. iunior cons.201. vol.2. Pereg. qui plures casus distinguit cons.64. lib.1.*

V.I.D. Marcus Antonius Celima.

RECOLLECTIO Secunda.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum quando præsentatur Iudici, debet esse liquidum, vt possit liquidari, & nu. 58.*

2 *Instrumentum quando non est liquidum, quod præsentatur, non potest expediri citatio super tenore instrumenti, & liquidari iuxta formam Ritus, etiam parte non opponente.*

3 *Iudex ex officio debet cognoscere de liquidate instrumenti.*

4 *Instrumentum quando dicitur esse liquidum.*

5 *Instrumentum quot modis potest dici illiquidum, & nu. 22. et 31.*

6 *Instrumentum referens se ad aliud instrumentum, an probet, & quomodo?*

7 *Instrumentum liquidum per se, vel per relationẽ ad aliud instrumentum iunctum cum alieq; solemni, potest liquidari,*

8 *Instrumentum debet continere pœnam pecuniariã, & iuramentum, adhoc, vt dicatur liquidum.*

9 *Instrumentum, an possit præsentari via executiua, quando sunt elapsi anni viginti.*

10 *Actio penalis durat spatio viginti annorum.*

11 *Instrumentum postquam sunt elapsi anni viginti, parte non opponente, quod fuerint elapsi, an possit præsentari, & liquidari, iuxta formam Ritus?*

12 *Accusatio extinta, an possit quis pati se condemnari?*

13 *Instrumentum postquam sunt elapsi anni viginti, & fuerit conuentum inter partes, quod possit liquidari, an liquidetur?*

14 *Tempus seù præscriptio viginti annorum potest interrumpi per preuensionem, vel citationem, dummodo citatio non sit sit circumducta.*

15 *Citatio quomodo circum-*

ducatur.

16 *Interruptio non inducitur per citationem nullam.*

17 *In obligationibus attenditur minor numerus, & nō possunt incusari, postquàm sunt elapsi anni decem, & quomodo sit procedendum?*

18 *Sententia antiqua non potest executioni demādari absq; partis citatione.*

19 *Citatus ad dicendum causam quare, non debet incusari obligatio, quæ excedit metam decem annorum, si opponat exceptionem satisfactionis, an dicere debeat causam in vinculis, vel facere depositum?*

20 *Instrumentum, quod continet debitum infra vnciā, an debeat accusari, & quid si vncia esset ex resta maioris summæ.*

21 *Minimum non includitur in statutis. Ius portelli pro minimis nō soluitur, nec pro carceratione Animalium, nec à carceratio pro functionibus fiscalibus.*

23 *Instrumentum continens aliquod fieri, an dicatur liquidum, & possit præsētari cū declarationib.*

24 *Instrumentum, an dicatur liquidū, in quo fuit promissa certa quantitas pecuniæ, cum pacto inter contrahentes, quod si facto calculo minus deberetur, minus censeretur promissa.*

25 *Instrumentum continens promissum, aliquid solui certo loco, et certa die, an possit liquidari, & quomodo sit liquidandum, & faciēdū cū prattica, et libello faciendo, & n. 26.*

27 *Debitor iussu creditoris potest alteri soluere, & liberatur.*

28 *Tribunal M.C. Vicariæ habet iurisdictionem generalem in toto Regno.*

29 *Creditor non potest cogi ad recipiendū solutionē, nisi in loco destinato.*

30 *Creditor non potest cogi ad recipiendam solutionem de nocte.*

32 *Instrumētum conditionale non potest liquidari, nisi im-*

impleta conditione.

33 Defectus conditionis impedit petitionem debiti promissi.

34 Debitor non dicitur qui debet aliquid causa conditionis implendæ.

35 Debitor est ille, à quo potest, eo inuito, pecunia extorqueri.

36 Instrumentum partim liquidum, & partim illiquidum, an possit præsentari, & liquidari cum declaratione, quomodo, & quando?

37 Vtile per inutile non vitiatur, cum multiplici declaratione.

38 Damnum, quod quis pro sua culpa sentit, sibi debet imputari.

39 Dies conuenta interpellat pro Creditore.

40 Qui facit depositum, præsumitur solutioni paratus.

41 Deponens si fecit depositum iussu Iudicis, non tenetur eius periculo si notificari faciat suo debitori.

42 Citatio super tenore instrumenti, quādo sit expedienda ad instantiam creditoris, qui tenetur aliquod implere tēpore solutionis, & nu. 44.

43 Exceptio pretij nō soluti, an impediat liquidationem instrumenti?

45 Instrumentum locationis, seu affictus, an possit præsentari, & liquidari via ritus pro consecutione pensionis, & nu. 49.

46 Exceptio patientię non præstite, an impediat liquidationem instrumētorum, & quid si fuit dictæ exceptioni renunciatum?

47 Vnusquisq; potest renunciare iuri, pro se introducto.

48 Iuri renunciato non datur regressus.

50 Instrumentum an liquidari possit si in eo sit promissum in solutione aliquod genus, vt frumentum, uel oleum absq; certa quātitate! & quid quando est promissa certa quātitas, & n. 56.

51 Debitor citatus super tenore

nore instrumenti pro pecunia recepta, an habeat facultatem consignandi frumentum promissum pro prædicta pecunia.

52 *Debitor semper potest petere, quod est in obligatione, & nō in solutione.*

53 *Instrumentum guarantigiæ, quare dicatur, & quid sit?*

54 *Instrumentum continens promissionem alternatiuam, alternatiua debet fieri petitio.*

55 *Lis quando dicatur contestari in causis liquidationis instrumentorum?*

57 *Instrumentum continens obligationem frumenti, prout ualebit tali tempore, an possit liquidari, si petatur frumētum quid sit faciendum, & quomodo procedatur?*

59 *Obligationes penès acta quando continent in satisfactione promissionem ordei, vel vini, prout tali tempore valebit an possit incusari, non liquidato pretio?*

60 *Aestimatio quanti plurimi quanto tempore duret, & an possit fieri quātitate non liquidata.*

SEquitur videre de secunda recollectione, scilicet, quod instrumenta sint ex
1 omni parte liquida, vt possint iuxta formam laudabilis Ritus M. C. Vicariæ liquidari, & præsentari: quia quando iudici præsentatur instrumentū, debet apparere liquidum, vt voluit *Bald. in l. cū testam. §. 1. in fin. C. de testam. & manum.* Et quando instrumentum non est liquidū, quod præsentatur, nō potest vigore ipsius expediri citatio, super tenore in-
2 strumenti. Nec potest ad interrogationem, & liquidationem procedi, etiam parte non opponente;
3 Quia iudex ex officio debet cognoscere de liquidate instrumenti, quia eius præsentatio dirigitur Curiæ, et Iudici, vt videat, & cognoscat, si liquidari possit. *Rouitus super Prag. rub.*

rub .de liquidat.instrumēt. nu. 22. & Marinus Freccia par.7.q.2.nu.5. & quod liquidum non est, exequi non meretur. idem *Freccia eodem citato loco nu.8.* Et illud dicitur esse liquidum, quod quacumq; exceptione tergiuersari non pōt *Carau.rit.167.n.14.*

4 Et quod instrumentum liquidum est, quotiescumque nulla eget probatione, extrinsecus facienda ad eius liquiditatem. Illiquidum verò instrumentū
5 multipliciter potest dici, scilicet ratione contractus ex conuentione, quia esset conditionatus, vel contineret pacta vltro, citraque obligatoria, respectu quantitatis ipsius debiti in instrumento contenti; & ratione ipsius instrumēti, quod se ad aliud refert (vt infra explicabimus) Quod dupliciter Doctores dicūt contingere posse, vno mo-
6 do quando relatio esset facta per modū assertiuū, & alio modo relatiuè, & limitatè, vt notat *Bart.in rub.edita col.pen.de edēdo.* Relatio quæ fit per modū limitatè relatiuum, referendo se ad aliud instrumentum, non probat, nisi producatur relatione instrumentum. Veluti si quis confiteatur in instrumento aliquod, & dicat: prout continetur in tali instrumento. Si verò in illo instrumento, non sic contineretur, illa confessio non haberetur pro vera, nec crederetur referenti, nisi produceretur relatum, si tractetur de pleno præiudicio; Et hoc tam in easdē personas, quàm inter diuersas: quia talis mentio est limitata relatiuè ad illud instrumentum, & nulli præiudicat. Quando verò relatio fieret per modum assertiuum, & non limitatè relatiuè ad aliud instrumentum, quia agitur de præsēti tractatu, & simpliciter refert ad aliud instrumentum tunc facit fidem, quia valet dispositio, de qua constat, licèt illud, ad quod relatio habetur non appareat, quia volūtatem certam habemus eius, qui

de

de nouo disponere potest; & semper respicienda est habilitas personarum ad contrahendum, vt optimè *Bolognettus hunc articulũ declarat in Auth. Si quis in aliquo, n.43. vsq; ad 49.* per rationes ibi per eum adductas cum limitationibus, & infra explicabitur. Et propterea instrumenta, quæ sunt pura, & absq; conditione, secundũ *Decium cons. 4. vol. 1. &*
7 *cons.46.* Et omnia instrumenta liquida per se, vel per relationem ad alia instrumenta publica cõiuncta cum alijs, & æquè solemnibus, possunt præsentari, & liquidari secundum formam Ritus, vt in Ritu, incipit: *Item intelligitur iste Ritus, & Carauita sup. ritu 167. n. 14. in fin. & 15. & Bart. in l. proinde, §. notandum, ff. ad l. Aquil. cum concord. allegatis per Alex. in addit. ibi:* Dummodo in ipsis instrumentis conti-
8 neantur pęnæ pecuniarię, vel iuramenta, seù ipsorũ alterum, vt in nostro Ritu, incipit: *Quod si debitores, quod non procedit si sunt elapsi anni viginti à die nata actionis debiti, in instrumento contenti; quia tunc via executiua vigorè dicti Ritus agi non potest, sed potest agi via ordinaria, vt in Ritu, qui incipit: Nota quod iste Ritus 267. in ordine; & ibi Carauita nu. 1. concordat Bart. in l. planè, ff. quod fal. tut. auct. & Galterius de liquidat. instrument. secunda pr. par. rub. Aduertat ad debita, & causas nu. 27. & 28.*

Reddit rationem, quia cum instrumẽta pęnalem actionem contineant, ob quam habent executionẽ paratam spatio viginti an-
10 norum durat, vt per *text. allegatum in l. quærelam, C. de falsis.* Et hoc intelligitur si à parte opponatur,
11 quod fuerũt elapsi viginti anni, per ea, quæ *Bart. in l. 1. §. accusation. ff. de pænis.* Nam quãdo accusatio est extincta, potest quis pati,
12 se conueniri, & condemnari de facto. *l. si quis. §.*

quan-

quantum, ff. ad exhibendũ, & l. si post acceptum. ff. de rei vend. & idem Bart. in l. si Titius, ff. de verb. oblig. vide eumdem Galterium eodem citato loco à nu. 28. vsq; ad 32.

Et quod notaui in meis obseruationibus ad praxim D. *Ioannis Andr. de Isernia cap. 9. de termino ad probandum, num. 181.*
12 vbi dixi, quod etiã si fuerit conuentio inter partes, quod instrumentum possit præsentari via ritus post annos 20. non possit præsẽtari per rationes ibi per me adductas. reddit etiam rationem *Galterius de liquidat. instrument. decima parte, q. 1. à princ. vsq; ad finem, vbi in nu. 11.* refert opinionem *Baldi,* & illam sequitur, posse via Ritus exequi: quod esset sanè intelligendum si infra annos 20. non sit facta præuẽsio, & expedita citatio, seù intimata debitori citatio,
14 quia per huiusmodi citationem esset interrupta præscriptio. *Ias on. in §. pœnalis, inst. de actionibus in penul. col. nu. 128. cum seq. Felyn. in c. illud de rescriptis, & Carauita super ritu 163. nu. 33.* dummodo tamen citatio non sit circũducta, quia non inducitur interruptio præscriptionis per citationem circumductam, *Bal. in l. & post edictum, §. 1. ff. de Iudicijs, & in leg. 1. ff. de in ius vocando, & infra in l. fin. ff. de eo, per quẽ factum erit.* Quo-
15 modo citatio circumducitur, & quod tempus, vide meas obseruationes, & additiones ad praxim *Isernien. in cap. 1. de citatione, nu. 150. & Ritum M.C. Vic. 121. in ordine, & ibi Carauit.* Similiter per citationẽ nullam, non fit interruptio præscriptionis, *Bart. in l. accusaturus, ff. de adulte-*
16 *rijs, & Bald. in l. si pater, C. ne de statu defunct.* sequitur *Iason. in §. pœnalis, n. 130.* & in hac fallentia, nota quod in obligationibus factis penès acta Curiæ attenditur numerus minor, videlicet decem

an-

annorum]; nam si sunt decursi anni decem à die na-
17 tæ actionis, nō potest fieri accusatio, & executio, absq; partis citatione ad dicendum causam quare nō debeat fieri accusatio, & exequutio. Ratio est, quia obligatio,quę decem annos excedit, æquiparatur sententiæ antiquæ iudicis, quæ executioni non demandatur, absq; partis
18 citatione. Et in eo casu si opponat satisfactionem non fit depositum, neque dicit causam in vinculis, sed auditur ordinariè ex-
19 tra carceres; & ita in praxi seruari testatur *Carau. Ritu* 128.*n*.4. & ita seruari debet confirmat *Afflict. in cōstit. Regni dilationes. nu*.21. *& Robert. cons*.2.*n*.3. *Galterius de liquidatione instrument*. 3.*p. principali in rub. expediatur citatio nu*. 8.

20 Item instrumētū, quod continet debitum infra vnciam non pōt incusari, & procedi via Ritus; dummodo quantitas infra vnciam non esset ex residuo maioris summæ, prout tenuerunt *Scaglionus Ritu* 163.*n*.46. *Freccia de liquidatione instrument. p*. 15. *nu*.1. *Rouitus ritu* 187. *qui incipit; Item qñæcumq; instrumenta; & Calterius de liquidat. instrum. secunda primæ partis, rub. Aduertat ad debitas causas num*. 36. *vsq; ad* 38. Et quomodo in his procedatur, habetis ibidem rationem, quia cū de minimis non curat prętor, minima non includū-
21 tur in statutis. Vide etiā *Maran. in suo speculo aduocatorum, par*.6. *ver. & producuntur scripturæ, & instrumenta, nu*.25. Nec pro minimis soluitur ius portelli, nempè infra duos Augustales. *Capiblanc. de Baronibus pragm*.19.*nu*.3. nec pro functionibus fiscalibus, nec pro interce-
22 ptione animalium. Hinc est, quod si in aliquo instrumento fuerit promissum aliquod incertum ratione quantitatis, veluti interesse in incerto modo,

& expensas non poterit creditor exequi via Ritus, quia instrumentum est illiquidum, donec quantitas certa probetur per summarias probationes, vt per *Carauit. ritu* 167. *num.* 18. citatum per *Galterium eodem citato loco num.* 40. & faciunt multa iura ibi adducta; & *Marinū Freccia de præsētatione instrumentor. 7. p. quæst.* 15. *nu.* 1.

23 An vero instrumentum, in quo est promissum aliquid fieri, possit dici liquidum, & præsentari secundum formam Ritus cōtra debitorem facti, & videbatur dicendum, quod instrumentum, quod non continet aliquam quantitatem consistentē in pondere, numero, vel certa mensura, non possit via Ritus præsentari, & liquidari, quia Ritus non facit mentionem de debitore facti, sed loquitur de pecunia numerata, & non fuit practicatus contra debitorem facti, quia obligatus ad factum regulariter nō cogitur præcisè ad factum, sed liberatur præstando interesse. *Carauita super Ritus, de quo loquimur* 166. *in ordine, nu.* 15. *Bart. Alex. in l. si quis ab alio, ff. de re iudicata. & in l. stipulationes non diuidūtur, ff. de verbor. obligat.* & pro interesse non potest agi via executiua. Sed cōtra replicabatur, quod Ritus generaliter de debitore pecuniæ loquitur, vel alterius rei, quæ debetur, quia pecuniæ appellatione non solùm numerata pecunia intelligitur, sed omnes res, tam facta, quàm Iura continentur, vt in *l. Pecuniæ nomine, ff. de verbor. signific.* ex his concludendum est, quod quādo debitor facti cogitur præcisè ad factum, illud præcisè implere tenetur, vt notat *Bart. in l. stipulationes non diuiduntur, ff. de verb. obligat. in penultima carta, per l. si cum exceptione, §. sed & si quis, ff. quod metus causa, vbi Bart. & idem Bart. in l.* 1. §. *hoc*

autem edictum col.2.ff.de operi noui enunct. Et instrumentum promissionis talis facti potest præsentari iuxta formam Ritus. Veluti si quis promisit facere instrumentum de aliquo contractu secundum *Bal.in l.plures,C.de fide instrumentorum*. Nam Dominus vendens fundum vaxallo, dum pollicetur realem, & effectualem possessionem, Dominus tenetur præcisè mittere in possessionem vaxallum, nec liberatur prestando interesse, secundum *Bal. in cap.si facta, si de feudo fuerit controuersia inter Dominum,& vaxall.* quando in obligatione facti interuenerit iuramentum, vt per *Alex.in l.stipulat vers. sed quæro,et cons.37.2.vol.* vbi dicit, hanc esse communem opinionem, & in similibus casibus, quos quilibet Studiosus in Iure poterit reperire apud *DD.* & ita fuit decisum in M. C. Vicariæ, sacro Regio Consilio in causa D. Ducis Seminariæ cum Domino Hyeronimo Columna, obligato ad faciendum instrumentum ratificationis, venditionis cuiusdam feudi factæ per eius matrem dicto Duci, qui cum recusasset, fuit conuentus via Ritus, & condemnatus ad euitandos carceres fecit instrumentum ratificationis, promissæ. Et in ea causa interuenit pro Actuario Egregius Nicolaus Coppula, idem *Carauit. super Ritu 166.nu.54.*

24 An autem instrumentum dicatur liquidum, si in eo fuit promissa certa quantitas pecuniæ cum pacto inter contrahentes, quod si facto calculo minus deberetur, illa quantitas minor censetur promissa, & interim pendente calculo, possit presentari? & dicitur, quod sic, vt per *Soccinum in l. Pecuniam, ff. de rebus creditis, si certum pctatur. per text. in l. 2. iuncta glos. ff. de in diem adiect.* vbi dicit pluries in facto obtinuisse, & adducitur

citur

citur ratio, quia præsens status attenditur, & non quod in futurum euenire potest; nec talis contractus potest dici conditionalis, sed resoluendus sub conditione. *Galter. de liquidatione instrumentorum secunda primæ partis. vers. aduertat ad debitas causas, nu. 9. Rouitus super Pragmaticis rubr. de instrumentorum liquiaatione nu. 25. Gramm. decis. 58.*
25 *nu. 10. & nu. 11.* & si quis promisit aliquam certam quantitatem consistentem in pondere, numero, vel mensura, consignandám in aliquo loco, veluti, quod debeat fieri solutio in Ciuitate Florentiæ, in die Paschatis, secundum casum propositum ex *Decio in eius Consilijs, cons. 566. nu. 4. parte 2.* veluti in loco, vbi non moratur, nec domicilium facit creditor. Instrumentum promissionis taliter factæ respectu promissionis dicitur liquidum, quia non continet conditionem; sed ad hoc, vt possit præsentari, & liquidari iuxta formam Ritus in alio loco, & foro non destinato, requiritur, quod in primùs Creditor doceat per publicum instrumentum, quod ipse, seù eius legitimus Procurator tempore solutionis, & consignationis fuerit præsens in loco destinatæ solutionis, paratus recipere pecuniam promissam. *text. in l. arbiter si calendas, ff. de receptis arbitrijs. Bart. in l. item illa, ff. de cõstituta pecunia. Affl. dec. 316. & Lanfranc. dec. 297. qui allegat text. in l. si in diem in principio, ff. de condit. & demonst.* Alias non posset disponere, quod non fuit in mora, & offerre solutionem in loco destinato. idem *Decius eodem citato cons. 566. à n. 4. vsq; ad quintum;* ponit casum ad litteram sic: absq; prædicto instruménto reus non posset cogi ad soluendum in alio loco, vt in *l. quod Ephasi, §. Interdum, ff. de eo, quod certo loco;* &

interim debet absolui ab obseruatione Iudicij, per *text.cum glos.in d.§.interdum.* Sed quomodo formabitur tale instrumentum est videndum; nam creditor, seù eius legitimus Procurator tempore promissæ solutionis debet conferre se ad locum destinatum, & ibi inueniat officialem ipsius loci, & coram publico Notario, & testibus narret factum, & quod accessit illuc paratus recipere debitum, sibi solui, & dari promissum, mediante publico instrumento, & roget ipsum officialem, vt perquiri faciat debitorem per illam terram, seù Ciuitatem per publicum proclama, vel alio modo; & facta huiusmodi perquisitione de ordine dicti officialis, eoq; non reperto Creditor, seù eius procurator protestatur cōtra ipsum debitorem, constituēdo ipsum in moram; & de omnibus prædictis fieri faciat publicum instrumētum: & si debitor habeat domicilium, & reperiatur cum familia in loco destinato, fiat cum interuentu Iudicis, Notarij, & testium ei interpellatio, & requisitio, cuius interpellationis fieri faciat publicum instrumentum, & facere posset etiam eius Procurator; quando creditor de persona non posset accedere ad locum destinatæ solutionis; quia potest tali caso constituere aliquem Procuratorem, seù exactorē, vt se conferat in loco destinato, & in dicto loco exspediri faciat prouisiones à Iudice, habente iurisdictione in dicto loco, notificando debitori, vt in tempore conuento soluat dicto Procuratori destinato per Creditorem ad exigendum, stante quod se contulit in loco destinatæ solutionis ad recipiendum pecuniam; ibiq; Procurator potestatur contra dictum debitorem, quod si secus fecerit, & non soluerit, possit contra eum agere tanquam contra morosum.

sum. Et forma procedendi talis esse posset videlicet In Curia Ciuitatis Iserniæ comparet Franciscus Var-
26 laua Procurator Notarij Francisci Reginandis Terræ Macchiegodenæ, & dicit, quod dictus Notarius Franciscus eius Principalis consequi debet à Ioanni Franciosello Terrę Mōtis Roduni, vigore instrumenti ducatos biscentum, quos dictus Ioannes soluere promisit in hac Ciuitate Iserniæ in præsenti die vltima Maij præsentis Anni 1664. & quia dictus Notarius eius Principalis ex aliquibus eius impedimentis non potuit personaliter ad hanc Ciuitatem accedere ad recipiendos dictos ducatos biscentum; ideò comparens ipse vti Procurator accessit ad dictam Ciuitatem cum mādato procurationis adrecipiendum dictam solutionem; & quia ignorat, si dictus debitor venerit cum dicta pecunia, seruata forma promissionis; ideò recursum habuit ad dictam Curiam, & præsentando mandatum prædictum procurationis autenticum cum potestate relaxandi copiam, & recuperandi originalem. Petit, atq; rogat Curiam prædictam, atque eius D. Gubernatorem perquiri facere per publicum proclama faciendum per Tubittam, seù Nuntiū dictæ Curiæ, dictum debitorem per totam Ciuitatē prædictam notificando, quod ipse stat paratus nomine dicti Principalis recipere dictam solutionē, & pecuniarum quantitatem, & quatenus non venerit, ex nunc pro tunc protestatur contra dictū debitorem, cum per ipsum non stat, neq; stetit recipere dictam solutionem statuta die, & loco destinato; constituendo dictum debitorem in mora nomine dicti sui principalis omni modo meliori; Et in calce comparationis prædictæ iudex faciat præceptum de perquirendo per Baiu-

lum, seu Nuntium dictum debitorem, & habita Nũtij relatione inscriptis, quod perquisito debitore, non fuit repertus, fieri faciat à Notario Curię fides cum inserta forma omniũ prædictorum actorum factorum: & quando certè sciretur, quod debitor esset in dicto loco destinato, & posset haberi de persona, personaliter intimari, & vocari faciat; & facta tali notificatione, & conseruata in actis, si debitor non soluerit personæ deputatæ; quia debitor iussu Creditoris potest alteri
27 soluere, & liberatur. *l. solutam, l. aliud, l. qui hominem, §. si debitorem. & l. fin. ff. de solut.* & sic posset creditor illum conueniri facere coram quocumque iudice, habente iurisdictionem, non obstante, quod solutio debiti sit promissa in alio loco, vt in *l. 1. ff. de eo, quod certo loco.* Dixi coram quocunque iudice, habẽte iurisdictionem, ex eo quia à iure datur fori electio, vti priuilegiatis, miserabilibus personis: & sic intelligitur quod possit eligi iudex habens iurisdictionẽ contra reum, & non iudex penitus incompetens, secundum *Andream in Constit. Regni, statuimus, in vers. generalia tamen verba*; & vt declarauit *Afflict. in decis. 157. & plures const. Cap. & Pragm. Regni, Ritus M.C. Vicariæ.*
28 Et vt plurimũ eligi solet Tribunal M. C. Vicariæ, quod habet generalẽ iurisdictionem in toto Regno, & vltra prædictum, sicut debitor non potest cogi ad soluendum, nisi in loco destinatæ solutionis, nisi fuerit in mora, vt iam dictum est dicta *leg. 1. & ibi notata. l. quod si ephasi, §. interdum.* ita nec creditor cogitur recipere solutionem in alio loco, quam in destinato, vt in *l. is qui cum ibi notata, ff. eodem titulo.* Posset Creditor recipere si offerat interesse secundum *DD. in l. qui Roma,*

me, ff. de Verborum obligationibus, & *Paulus de Castro in l. Is, qui*, quia eadem debet esse ratio debitoris, & Creditoris. Vide *Galter. de liquidatione instrumentorum secunda primæ partis, rubr. aduertat ad debita, & causas nu. 20.*

30 Nec etiam de nocte potest quis cogi ad recipiendum solutionem, quia adest periculum deceptionis, ita consuluit *Romul. cons. 352. in principio allegatus per Cauens. sup. Ritibus, ritu 173. nu. 3.*

31 Dixi supra instrumentum esse illiquidum, quando in eo sunt aliquæ promissionis vltro, citroq; obligatoriæ, & non posse liquidari iuxta ritum; & quod contingere potest multis modis, ideò est distinguendum, qnod aut illiquiditas impedit solutionem debiti, quia facta est promissio de damno, vel soluendo aliquid sub conditione, adimplenda per Creditorem ante solutionem promissam, veluti, si Nauis ex Asia venerit, vel si Creditor habitauerit in tali loco, vel Romam pro eo iuerit, vel aliquod simile, tunc tale instrumentum non poterit præsentari, & liquidari, iuxta formam Ritus, nisi prius impleta conditione, & in promptu Creditor tenetur per publicum instrumentum docere, conditionem fuisse impletam; quia defectus conditionis impedit petitionem debiti

33 promissi, vt in *l. si ea cond. C. de conditionibus incertis; & l. id quod, ff. de constituta pecunia.* Nam quando aliquid conditionale deducitur in iudicio, conditio debet prius liquidari, quod impleta sit, vt notat *Decius cons. 585. nu. 1.* Ratio est, quia non potest dici debitor ille, qui aliquid

34 debet causa conditionis implendæ secundum *Bart. in l. statu liberos, ff. de stat. lib.* Nam debitor propriè est ille, à quo aliquid potest eo inuito extorqueri, *l. debitor, ff. de verb. signif.*

35 ibi debitor intelligitur si, à quo

à quo inuito exigi pecunia potest, *l. fideiussor, §. fideiussor de fideiussoribus;* & ideò pendente conditione, tāquā ab inuito non potest pecunia exigi, ita *Bart. in l. 1. circa finem, ff. de rebus creditis, si certum petatur.*

Si verò instrumentum esset partim liquidum, & partim illiquidum, nam tunc respiciendū est, quod
36 aut pars illiquida impedit partem liquidam, & tunc non posset presentari, quia vna pars tendit ad impedimentum alterius, quia in inseparabilibus vnū per aliud impeditur. *l. hoc iudicio, ff. familiæ hærciscunde.* Aut verò pars illiquida non tendit ad impediendam solutionem, veluti, quia debitor promisit soluere centum creditori die prima Augusti; & è conuerso creditor promisit aliquid dare, vel facere debitori die prima mensis Septemb. & sic post solutionem factam; & in hoc casu instrumentum vti liquidum poterit præsentari iuxta formam Ritus per Creditorem, quia adhuc non cessit dies implendi promissa ex parte creditoris, *l. cedere diē, ff. de verb. signif. cum concondantijs, & Alexander in l. illo, ff. de verb. obligat.* & talis promissio per Creditorem facta intelligitur cum conditione, si debitor prius soluerit, & essemus etiam inseparabilibus, in quibus vnum per aliud non impe-
37 ditur, vt supra dictum est, ex regula, quod inseparabilibus vtile per inutile nō vitiatur, vt in *cap. vtile de regulis iuris in 6.*

Et si instrumentum diceret, quod tempore solutionis teneatur Creditor facere aliquid, nec impeditur liquidatio instrumēti, & executio, sed in liquidatione dicitur, quod exequatur, & pro indēnitate debitoris fiat depositum, & illud non liberetur, nisi impleta promissione per Creditorem: ita seruari in practica testatur *Carauita*

Ritu

Rita 167.*nu*.29.Et si Creditor in tempore statuto non egit, & vult agere in tempore, quo superuenerit tempus adimplendi promissa, an dictus creditor possit agere via executiua, antequam adimpleat ex parte sua? & crederem, quod non, quia postquam cesset dies tenetur creditor prius adimplere, quàm agat, vt in *l. cedere diem allegata*, quia sibi imputatur si non egit ante pro consecutione pecuniæ sibi debitæ cum potuerit, quia damnum,
38 quod quis pro sua culpa sentit, sibi debet imputari. *Cap. Damnum de Regulis Iuris in 6.* Sed dictus creditor poterit agere pro interesse passo, ratione moræ contractæ per debitorem in non soluendo conuenta
39 die, quia dies expressa in cõtractibus interpellat pro creditore, *l.2. C. de iure emphit. l.magnam, C. de contrahenda, & committẽda stipulatione, l.quoties in diem, ff. de verbor. obligat. in l.vinum, ff. de rebus dubiis, si certum petatur. Cap. fin. extra de loc.* Nec in hoc casu tenetur creditor consignare quod promisit suo debitori, sed illud etiam deponat penès fidum pu-
40 blicum bãcum, quia quod deponitur, præsumitur solutioni paratum, secundũ *Alex. Bart. & Paulum de Castro in l.singulariter, ff. si certum petat. in fin. & per text. in l. Qui negotia in vers. nec simile, ff. mandati. l.certi conditio, §.fin. ff. si certum petatur.* Et fa-
41 cto deposito iussu Iudicis, deponens non tenebitur de eius periculo, *Bart. in l.si soluturus, ff. de solutionibus, & in l. fin. C. de pignorat. actione. Bald. in l. acceptam. C. de vsu, l.argentum, ff. commodati.* Et facto deposito creditor notificari faciat suo debitori, & simul super tenore instrumenti citari faciat pro consecutione debiti promissi sic procedere potest secundum formam Ritus.

Hic quæri potest, si fa-

cta esset promissio per debitorem in instrumento de
42 soluẽdo suo Creditori cẽtum certa die, & per Creditorem è conuerso promissum est aliquod fieri, vel dari suo debitori tempore solutionis dictorum ducatorum centum, an tale instrumentum poterit præsẽtari, & liquidari iuxta formam istius ritus per Creditorem, non obstante quod contractus sit vltrò citròque obligatorius; & responderi potest, quod sic, quia Creditor non est obligatus adimplere ex parte sua ante solutionem, sed tempore solutionis; & per consequens non debet impediri actus liquidationis talis instrumenti per huiusmodi exceptionem, arg. dictæ *l. cedere diem, ff. de verbor. signif. l. in illa. l. Interdum, & l. in insolam, ff. de verb. obligat.* & ibi *Alexandr.* sed ad tollendum omnes difficultates, & ad euitandum dictam exceptionem, melius esset in citatione facienda super tenore instrumenti, quod Creditor est paratus adimplere ex parte sua, quod promisit, quia in iudicio sola oblatio sufficit *l. si rem §. finali, ff. de pignoratitia actione*; & ad hoc corroborandum adduci possunt ea, quæ notantur per *text. in l. Iulianus, §. offerri, & i-*
43 *bi Paulus de Castro, & alij DD. ff. de actionibus empti*, vbi agens pro consecutione rei, debet offerre prætium, quia sicuti emptor habet actionem empti cõtra venditorem, qua cogi potest ad rem emptam tradendam; ita venditor habet actionem venditi contra emptorem, qua illum cogi potest ad prætium numerandum; aliàs non posset via ritus procedi, cum exceptio pretij nõ soluti, vel rei non traditæ, sunt exceptiones, quæ oriuntur, & causantur ex eodemmet contractu, seù instrumento, quæ nunquã dicuntur reiectæ, & semper

per

per possunt opponi; ita testatur *Freccia de presentatione instrumenti, par. 7. q. 1. nn. 2.* Vide *Lanfranc. in suis decis. decis. 359.*

44 Redeundo ad casum si faceret depositum, esset melius, & cautius, licèt me Iudex non posset astringere ante tempus, quia solutio facienda per debitorē est destinata pro termino promissioni creditoris; & si debitor comparuerit cū pecunia, & creditor non adimpleuisset promissionem suam, Iudex tunc mandabit pecuniam deponi, & non liberari, donec adimpleat. Si verò nō comparuerit, & fiet contumax, ita quod patiatur executionem, & venditionem bonorum: Iudex similiter mandet pretium deponi, vt supra, quia vtriq; parti consulendum est.

45 Alia quæstio oriri potest, an instrumentum locationis, & conductionis, vt vulgò dicitur affictus, pro affictu liquidari possit, & instrumentum præsentari iuxta formam Ritus per locatorem pro consecutione pensionis, seù affictus rei locatæ? Quam quæstionē terminauit D. *Marinus Freccia de præsētatione instrument. par. 7. q. 9. per totam*; & cum eo dico, quod non est liquidum instrumentum locationis, quia censetur instrumentum pactionatū, vltrò citròq; obligatorum, ex eo quia promissio facta per conductorem soluendi pensionem locatori, intelligitur respectiuè ad rē locatam, & ad inuicem sūt obligati, quia locator tenetur præstare patientiā, vt idem *Freccia eodem cit. loco n. 5.* Quod conductor fruatur re locata; & tenetur conductor soluere pēsionem locatori; hoc adeò verum est, quod etiam si locator expresè non promiserit præstare patientiā, tacitè intelligitur obligatus. *text. est in l. Quæro, §. inter locatorem, vers. quātuis nihil expressum sit, ff. de locat. & condit. Abbas,*

& Felyn. in cap. peruenit lo 2. de iure iurando. Ex quibus constat, quod si locator non ostendit prius in promptu per alium publicum instrumentum, vel scripturam iudicialem patientiam fuisse præstitam,
46 nõ poterit agere via executiua pro pensione, quia conductori licebit excipere, quòd non fuit præstita patientia, sicuti licere agere *l. ex conducto, & l. si in lege, §. Colonus, ff. locat.* nam cui datur actio, multò fortius datur exceptio *l. Creditori iuncta glosa*, & ibi *Alexan. C. de pactis, l. 1. §. his autem, ff. de superfic.* & hæc exceptio impedit iudicium executiuũ, quia est exceptio, quę oritur ex eodemmet contractu, vt supra dictum est, de exceptione prætij non soluti dicto, §. *inter locatorem*; & tanto magis, quia exceptio patientię non pręstitæ de sui natura inest contractui, & ideo opponi potest, etiam quod statutum diceret, quod contra instrumentum nulla admittatur exceptio: sed videndus est omnino *Galterius de liquidat. instrumẽt. secunda primæ partis Rub. Aduertas ad debita, & causas à nu. 49. vsq; ad 54. exclusiuè*; ibiq; inuenies quis debeat patientiam fuisse præstitam probare, an locator, vel conductor; & quod ad euitandam illiquiditatem instrumẽti locationis, in instrumento faciant semper renunciare beneficio exceptionis patientiæ non præstitæ, quia per talem renunciationem redderetur liquidum, vt possit præsentari
47 iuxta formam Ritus. Nec conductor posset opponere exceptionem prædictã
48 cui renunciauit, quia quilibet potest renunciare iuri per se introducto, *l. si quis in describendo, C. de pactis; & iuri renunciato non datur regressus, l. postquam liti, C. eodem cum concordantijs*; & maximè si talis renunciatio firmaretur iuramento, quod sẽ-

per

per seruari debet sine interitu ęternæ salutis, *Cap. cum contingat de iure iurãdo. Cap. Quamuis de pactis in 6. & Auth. Sacramenta puberum, C. si aduersus vẽditionem.*

Nec ommittam dicere, quod instrumentum affictus, etiam quod habeat renunciationem prædictã,
49 iuxta formam Ritus pro pensione debita, ex tacita reconductione sequuta præsentari non posse secũdum *Afflict. dec. 365. n. 15.* qui allegat *Bal. in l. legem, C. locati, & Alex. cons. 27. 28. in quarto volumine.*

50 Alius casus constitui potest, v.g. Titius debitor vigore instrumenti in ducatis centum ex aliqua causa, puta mutui, pro satisfactione promisit consignare certa die tantam quantitatem frumenti, vel ordei, prout valebit tali tempore, (& hic in dies occurrit, & ideo est menti tenendum, maximè iñ his partibus,) & in obligatione soluendi nulla fuit expressa quantitas certa; Si debitor non consignauit frumentum, vel ordeum in tempore conuento, an creditor petere possit dictos ducatos centum, & pro eis liquidare instrumentum, non obstante, quod quantitas soluẽda fuit promissa soluenda in frumento, vel ordeo, & per *text. in l. si quis stipulatus fuerit decem in melle, ff. de solutione*. Dicitur, quod sic, & ratio est, quia centum sunt in obligatione, frumentum, & ordeum tantum in solutione *glos. ibi in verbo decem.* Verùm
51 debitor citatus pro pecunia, habebit facultatem consignadi frumentum, secundum *Bart.* ante litis contestationem, qui propriè loquitur in executione instrumentorum guarantigia in vltima *col. tex. in l. item veniunt, §. idem rectè, ff. de pet. hereditatis, & l. miles, §. decem, ff. de re iudicata*; Quia creditor semper potest, & de-
52 bet petere id, quod est

in

in obligatione tantum, & non quod est in solutione, vti frumentum, & ordeum.

53 Nomen autem guarantigię secundum *Bal. in cap. 2. de lege corradi in vsibus Phæudi*, dicit esse vulgare tuscorum, quia instrumentum guarantigiæ, idest firmitatis, & præceptum definitur à Ripa *obs.* 344. Cur dicatur instrumẽtum guarantigiæ. *Thor. voto* 84. *nu.* 128. *lib.* 1. & habet paratã executionem, enarrat *Riccius coll*, 600. *par.* 3. *Guido ad Cap. Latr. dec.* 58. *lib.* 1. & de censualibus contractibus *Riccius coll.* 41. *parte* 1. quia omnino standum

54 est instrumento. Etsi in instrumento sit facta promissio alternatiua, alternatiua debet fieri petitio, quia vtrumq; est in obligatione. *Bart. in dicta l. si quis stipulatus fuerit, circa principium*: Et hoc casu debitor habet electionem de eo, quod vult soluere *l. qui ex pluribus*, & ibi *Bart. ff. de verborum obligatione.*

Dicitur instrumentum quarantigiatum si confessatum sit, prout in hoc Regno fiunt instrumẽta cum interuentu Iudicis Cartularij, qui dicitur Iudex ad cõtractus, & efficitur guarantigiatum instrumentũ, propter præceptum, quod interuenit de soluendo coram ipso confesso à cõtrahentibus, quia Iudices ad contractus sunt Iudices voluntariæ iurisdictionis, vt per *Marant. in suo spec. parte* 4. 18. *distinctione nu.* 2. & 4.

55 Hic quæri potest stante, quod debitor secundum *Bart.* habet facultatem cõsignandi frumentum, vel ordeum ante litis contestationem, in hoc iudicio executiuo, quando lis dicitur contestari, & responderi potest, quod in hoc iudicio extraordinario, & executiuo lis contestatur, quando fit actus liquidationis instrumenti, quia tunc legitur instrumentum in præsentia ambarum partium, & fit inui-

cem

cem interrogatio, vt in *Ritu incipit item si qui debitores*.

Quando vero esset promissa quantitas certa frumenti, veluti centũ modia pro ducatis centum debitis virtute instrumenti. *Bart. in dicta l. si quis stipulatus*, dicit quod Creditor poterit petere quod voluerit, quia vtrumque est in obligatione per *tex. in l. 1. §. an potest, ff. de restit. pecunia*; & si petit pecuniam, debitor vsque ad contestationẽ litis potest consignare frumentum, quia est ex dispositione hominis huiusmodi obligatio, vt per *Bart. in l. stipulationes non diuiduntur in penultima col. ff. de verbor. obligat.*

57 Hinc est, quod si quis promisit consignare tantã quantitatem frumenti in satisfactionem crediti, v.g. dato quod Titius vigore instrumenti sit debitor in centum Caio, & pro satisfactione prædictorum ducatorum centum, promisit in eodẽ instrumento eidem Caio consignare tantam quantitatem frumenti, prout communiter valebit tali tempore per dictam *l. si quis stipulatus*, poterit petere, quod voluerit; sed si petierit frumentũ, non poterit agere secundum formam Ritus via executiua, nisi prius per authenticam scripturam, vel publicum instrumentum docuerit, quanti communiter valuit frumẽtum loco, & tempore cõuento, quia vt supra dictũ

58 est, instrumenta ad hoc, vt secundum formam Ritus possint liquidari, & agi via executiua, debent esse liquida, tam respectu quãtitatis promissæ, numero, pondere, & mensura, secundum rei qualitatem, quam etiam respectu conuentionis partium contrahentiũ, ne sint patronata. Ita obseruari feci in mea Patria Macchiagodinę circa incusationes obligationum, pęnès acta Curiæ, quando in dictis obliga-

tio-

tionibus esset facta promissio consignandi tãtam quantitatem frumenti, ordei,& similium ad vocem, dandam in aliquo loco, non poterit fieri incusatio
59 pro ordeo,frumento, promisso, nisi prius constitum fuisset de voce, & liquidatum prætium rerum promissarum, & deindè incusatur, alias non possent incusari, *l.eum pro quo,ff. de in ius voc.* aliàs incusationes redderentur nullæ; & ita obseruaui in practica seruari. Et ad propositum huius secundæ recollectionis. *Galterius de liquidat. instrument. 2. primę partis rub.* Aduertas ad debita, & causas *nu.* 4. ponit casum. Si quis per centum pro certa die promisit oleum, vel frumentum, & tempore statuto non fuit facta consignatio, & frumentum post diem valuerit centum quinquaginta, dicit quod instrumentum poterit via Ritus exequi, non obstantibus auctoritatibus tantorum
60 DD. & pro eo plurimi agi ordinariè,quando, & quãto tempore ęstimatio quãti plurimi duret in rebus, qui seruando, seruari non possunt, vide eumdẽ *Galterium eodem citato loco*: & an æstimatio quanti plurimi habeat locum, re non liquidata, seù quantitate non liquidata. Vide *Afflictum in suis decisionibus,decis.*105. Laus Deo.

V.I.D. Marcus Antonius Celima.

RECOLLECTIO Tertia.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenta quando præsentãtur iuxta formam Ritus, per quas personas præsentari debent, & cõtra quas personas.*

2 *Instrumentum ad hoc, vt possit per Creditorem liquidari, debet esse iuratum de facie ad faciem, & nn.7.*

3 *Instrumentũ ad hoc, vt possit præsentari via Ritus, & liquidari, iuramentum in eo præstitum, debet esse præstitum ad vtilitatem ipsius, qui in stipulatione interuenit, & num. 21.*

4 *Instrumentum an possit præsentari, & liquidari via Ritus contra fideiussores debitorum?*

5 *Fideiussor debitoris sub nomine debitoris continetur.*

6 *Instrumentum an possit præsentari per Procuratorẽ, qui interuenit in stipulatione nomine sui principalis?*

8 *Instrumentum an possit contra hæredes liquidari?*

9 *Actio criminalis contra hæredes, an detur.*

10 *Actio pænalis an detur cõtra hæredes, & quomodo, & quando!*

11 *Iuramentum in instrumẽto præstitum est personalissimum, quomodo, & quando, & nu.14.in fine.*

12 *Obligationes penès acta Curiæ habent promptionem, executionem, an possint incusari contra hæredes, & exequi contra ipsos, etiam pro pæna, quomodo, & quando, & quid agendum.*

13 *Obligatio pænes acta est pænalis.*

14 *Hæredes Creditoris, an possit præsentare instrumentum confectum cum defuncto uia Ritus, contra suos debitores!*

15 *Hæres hæredis an possit præsentare instrumentum uia Ritus, & quid probare habeat?*

16 *Hæres hæredis est hæres pri-*

primi testatoris.

17 *Hæres Creditoris defuncti, an possit præsentare instrumentum non confectum cum defuncto, sed cum procuratore Defuncti, uia Ritus?*

18 *Qui in ius alterius succedit, eo iure uti debet, quod Defunctus habebat.*

19 *Instrumentum confectum in presentia alicuius interuenientis pro Creditore, an possit per ipsum præscentari, & quomodo.*

20 *Instrumentum confectum per Procuratorem, an possit per ipsum Procuratorem nomine sui Domini præsentari uia Riuus; & quomodo sit faciendum? & nu. 21. & 22.*

23 *Procurator an possit præsẽtare, & liquidare instrumentum, in quo facta est promissio solui sibi, & domino principali insolidum?*

24 *Procurator conditionem Domini deteriorem facere non potest.*

25 *Instrumentum an possit liquidari contra prodigũ declaratum post confectum instrumentum?*

26 *Instrumentum an possit liquidari contra furiosũ?*

27 *Pupillus an possit liquidare instrumentum cum declaratione, si est minor vel maior septemnio, & quid ostendere debeat?*

28 *Instrumentum an possit liquidari contra pupillum, quomodo, & quando, & an exequi possit contra eius personam?*

29 *Instrumentum an possit liquidare contra mulieres debitrices?*

30 *Mulier an possit carcerari pro causa criminali, ubi uenit ponenda pæna pecuniaria.*

31 *Meretrix, & inhonesta mulier, an pro debito ciuili possit carcerari?*

32 *Iudicium liquidationis instrumentorum dicitur criminale propter periurium.*

33 *Pęna liquidationis instrumentorum, quæ sit hodie?*

34 *Clericus an possit liquidare instrumentum uia*

Ri-

Ritus, & nu. 36. & 41. & 45.

35 *Statuta laicorum fauorabilia, an habeant locum in Clericis, & nu. 44.*

36 *Præsentatio instrumentorum respicit criminalitatem.*

37 *Qualitates Ritus nostri quid importat circa præsentationem inserumentorum.*

38 *Laicus an possit præsentare instrumentum uia executiua contra Clericum? & nu. 42. & 46.*

39 *Clericus an gaudeat beneficio l. quod cum eo, in iudicio executiuo præsentationis instrumentorũ via Ritus?*

40 *Contrariorum eadem est disciplina.*

43 *Instrumentum an habeat paratam executionem de Iure communi?*

47 *Incusatio instrumentorum quomodo fiat?*

48 *Ritus noster an habeat vim legis?*

49 *Instrumentum an possit incusari cõtra Clericum pro capitali pretio? quid obseruetur in Ciuitate Beneuenti, & an contra ipsum possit incusnri instrumentum cum eo confectum tempore, quo erat Laicus, & è contra, & quomodo fiat?*

50 *Iudæus an possit incusare instrnmentum contra Christianum, vel contra alium Iudeum?*

51 *Voiuersitas an possit incusare instrumentum iuxta formam Ritus, & quid de Monasterio, & an vniuersitas ueniat appellatione personæ, quomodo, & quando, & nu. 54.*

52 *Vniuersitas est nomèn Iuris, & non personam?*

53 *Vniuersitas numquam moritur, & semper est eadem.*

55 *Monasterium an possit præsentare instrumentum, & quomodo!*

56 *Monasteriũ dicitur propter Monacos, & num. 59.*

57 *Vniuersitas quomodo sit congreganda, & an requiratur maior pars.*

58 *Æconomi an possint liquida-*

dare instrumenta uia Ritus, ex eo quod fuerunt confecta cum prædecessoribus æconomis quomodo, & quid agendum?

59 Instrumentum an possit incusari per æconomos cum interuentu, & præsentia Notarij, qui stipulauit, tamquam persona publica nomine Ecclesiæ, interueniens, & stipulãs.

60 Instrumentum an possit præsentari contra monasterium, seù Vniuersitatem.

61 Vniuersitas an habeat animum, seù corpus naturale, & obligetur?

62 Vniuersitas an possit excommunicari?

63 Vniuersitas an obligetur ex mutui receptione an uerò administratores, si non appareat pecunia uersa in utilitatem uniuersitatis!

64 Vniuersitatibus an sit data potestas liberè disponendi de rebus suis.

65 Ciues habitantes in una ciuitate, uel terra dicuntur fecisse perpetuam societatem inter eos, & faciunt personam legalem, quid, & quomodo intelligitur.

66 Vniuersitas, an habeat liberam administrationẽ, & potestatem legis, condendæ.

67 Mutuans pecuniam Vniuersitati, an ipse teneatur probare fuisse uersam in utilitatem uniuersitatis, & quot modis possit probari, & figuratur casus.

68 Vniuersitas est persona ficta, & non est stabilis ad administrandum per se ipsa.

69 Sindici an possint uendere, & alienare res uniuersitatis? quomodo, & quando?

70 Empteres rerum uniuersitatis, an possint se intromittere, & inquirere, an pecunia expendatur in utilitatẽ uniuersitatis, et in quibus contractibus.

RE-

RECOLLECTIO
Tertia.

1 VIsum est supra, à quibus debeant confici instrumenta, quæ solemnitates in eis requirantur, & quod debeât ex omni parte esse liquida. Sequitur nunc per quos, & contra quos instromenta præsentari, & liquidari possunt, quod est tertium requisitum ad instrumenta liquidâda, quia debent instrumenta publica, & liquida præsentari per legitimam personam, nempè per omnes Creditores, qui personaliter interfuerunt stipulationibus ipsorum instrumentorum, prout notatur per *Carauitam Ritu* 82.*num*.8. qui incipit: item seruat ipsa Curia, & consequenter contra omnes debitores, qui personaliter interuenerunt in stipulatione contractus, & obligatione immediatè, & non mediante Procuratore, vel Nuntio, vt per *Affl. decis*.64. *à num*.1. *per totũ*; & ibi redditur ratio, quod vnum ex substantialibus ad liquidarionem faciendã
2 sit, quod instrumentum sit iuratum de facie ad faciem, pro vt communis practica, tam in M. C. Vicariæ, quam in aliis Regni tribunalibus practica communis inoleuit ex nostri Ritus dispositione, aliàs non fiet instrumẽti prȩsentatio, nec ad eius interrogationem
3 procedi poterit; & quod iuramentum sit præstitum, non solum de facie ad faciem, sed quod sit ad vtilitatem eius, in cuius facie reperitur interpositum, & ad hoc multi occurrere possunt casus. Hic primo contra fideiussores debitorum
4 præsentari possit; & dicitur, quod sic, quia fideiussores debitorum, etiam debitores appellantur, siue simpliciter; siue insolidum, vti principali pagatore obligato pro altero cum ex vna, & simul promittente aliquid potest via Ritus executiuè Creditor contra fideiussores agere, quia fideiussor nomine debitoris

con-

5 continetur per Ritum M.
C. Vicariæ 166. in ordine,
ibi quarumcumque perso-
narum, seù fideiussorum.
*Alexand.& Bart. in l. 1. ff.
si certum petatur,& text. in
l.& magis, ff. de solutionib.
l. si fideiussor in principio,
ff. de legatis primo, cũ alijs
Concordantibus.* Ergo con-
cludendum est in vera
praxi seruata forma dispo-
sitionum iurium allegato-
rum, quod instrumentum
6 confectum per Procura-
torem,qui recipit iuramẽ-
tum,& pęnam nomine sui
Domini principalis non
potest via Ritus præsenta-
ri, & exequi contra debi-
tores taliter obligatos.
Rationem adducit idem
Afflict. decis. 64. Quia iu-
ramentũ non fuit sibi præ-
stitum, & ideo procurator
non agit, quia non potest
agere de periurio per id,
quod est alteri promissum,
licet mea intersit; & quia
7 debet iuramentum esse
præstitum de facie ad fa-
ciem, vt testatur etiam
*Marinus Frecc. de præsen-
tatione instrument. par. 10.
q. 2. nu. 2.* Nec contra hæ-
8 redes debitorum, quan-
tumuis instrumentum sit
liquidum, vt in Ritu, qui
incipit: *Item seruat ipsa
Curia, quod si debitor. Et
Afflict. in constitut. Regni,
eos, qui scienter, num. 5.*
per prædictam rationem,
quod in instrumento præ-
dicto non reperitur iura-
mentum præstitum de fa-
cie ad faciem, & hæres
præsumitur iustam habere
causam ignorantiæ, nec
actio criminalis datur ad
9 vindictam contra hæredes
ex priuatis criminibus, vt
per *text. in l. prima de pri-
uat. crimin. Bald.& DD. in
l. 1. C. ne ex delictis defun-
ctorum,et in §. sed hæredib.
institut. de perpetuis, & tẽ-
poralib. act.* Nec etiam in
actionibus, quæ dantur ad
vindictam ex publicis de-
lictis potest procedi con-
tra hæredes, vt in *glos. in
l. vnica, C. ex delictis defũ-
ctorum, & l. fin. C. si reus,
vel accusatus mortuus fue-
rit.* Sed in hac materia

con-

10 consideratur solũ si actiones pęnales sint quæ proueniunt ex contractibus, relictis alijs, vt actiones ędilitiæ, illæ enim, & hæredibus, & contra hæredes competunt, *l. cum autem*, §. *si seruus*, *&* §. *sequenti*, *ff. de edilitio edicto*. Secundo si lis contestata esset cum defuncto, quia possunt illę actiones prosequi contra hæredes ex regula *text. in l. omnes actiones* 139. *ff. de regulis iuris*. Tertio si ad hæredem aliquid lucri ex contractu defuncti peruenerit *l. quod si diximus in fine*, *cum l. cum sequenti*. Quia in prædictis casibus hæredes debitoris dicũtur verè debitores; non tamen contra eos extraordinaria via, nempè executiuè via Ritus procedi poterit, vt per Ritum 187. & ibi *Carauit. 1, nu. 2. Marinus Freccia par.* 11. *quæst.* 1. disputat hanc quæstionem. Sed *Galterius de liquidat. instrument. secunda secundæ partis principalis, Rub. Aduertat insuper ad debitorẽ à num. 27. vsq; ad num. 31.* reddit formalem rationẽ;

11 Quod cum iuramentum sit personalissimum, illud extinguitur cum persona, vna cum pęna pro eo scilicet, quod attinet ad reatũ periurij quicquid sit quoad obligationem realem, & citat *l. generaliter*, *C. de iure iurando*; Sicq; concludit, quod pęna periurij, & alia ad hæredes non transeunt, & multa alia ibi per eum adducta; *& nu. 32. re penes, vsq; ad nu. 34.* quod

12 obligationes pęnès acta, quia habent promptiorem executionem citatis hæredibus debitoris, contra ipsos potest exequi. An autem possit contra dictos hæredis exequi pro pœna, & *nu.* 35. inuenies distinctionem, quod si obligatio fuit incusata contra principalem debitorem viuentem, & non fuit exequutum, potest contra hæredes exequi tam pro pæna, quam pro debito. Si verò citatis hæredibus fuerit incusata contra prædictos hæ-

hæredes obligatio, & tunc si in citatione fuerit insertus tenor obligationis, hæredes tenentur ad debitũ, & pænam, si nõ comparet, fit decretum, quod exequatur realiter pro pæna, & debito, non quia iuramento roborata, sed quia obligatio pænalis est. Si
13 citatio non fuit expedita cum insertione tenoris obligationis, & tunc hæredes non tenentur ad pænam.

14 Hæres verò Creditoris declaratus hæres mediãte decreto præambuli, potest præsentare instrumẽta facta cum defuncto Creditore, non obstante, quod non sit iuratum de facie ad faciem cum hærede Creditoris, vt in Ritu, qui incipit: *Item seruat ipsa Curia, quod si debitor*; & in alio Ritu incipit; *Item seruat ipsa Curia, quod si sit præsentatio* : & in Ritu incipit: *Item seruat ipsa Curia, quod quando in titulo de præambulo*. *Freccia* 11. *parte, quæst.* 10. *Galterius prima pars* 2. *partis, rubr. aduertat Creditor ad personam suam, nu.* 10. Ratio diuersitatis est, quia iuramentum ex parte Creditoris illud recipientis non est personale, & ideo transit ad hæredes. *Inn. in dicto cap. Veritatis*; sed ex parte debitoris iurantis, supra dictum est, esse personalissimum, quod intelligẽdum est, si Creditor defunctus stipulatus est pro se, & hæredibus, per ea, quæ *cap. in decitione* 75. & tunc est ampliandus Ritus etiam in hærede hæredis, vt possit
5 agere via Ritus, constito prius de præambulo suo, & præambulo primi hæredis.
6 Ratio est, quia hæres hæredis est hæres primi testatoris *l. qui liberis, C. de hæredibus instituendis*. Et ad propositum rogo lectores, vt videant, *Bart. in l. fin. v. idem dico columna* 4. *C. de edicto diui Adrian tollan.* & ibi multa digna notatu obseruabunt.

7 Nec hæres defuncti, etiam facto præambulo potest præ-

præſentare inſtrumentum prædictum non fuit ſtipulatum cum defuncto, quia ſi defunctus non poterat præſentare, & liquidare inſtrumentum, ex eo quia non erat ſtipulatum cum ipſo de facie ad faciem, requiſitum neceſſarium ad procedendũ via Ritus executiuè; nec eius hæres poterit liquidare via Ritus, quia, quod non licebat defuncto, dum viuebat, nec licebit hæredi. Ratio eſt,
18 quia qui in ius alterius ſuccedit, eo iure vti debet, quod habebat defunctus. *Cap. 15. de regul. iuris in 6. & ibi Dynus arg. l. Item veniunt, § prędiximus, ff. de petitione hæred. gloſ. in l. certi conditio in principio, ff. ſi certum petatur.*

19 Et quando inſtrumentũ repreriretur ſtipulatum in præſentia alicuius ſtipulantis, & interueniẽtis pro dicto creditore defuncto, prout communiter faciunt etiam hodie Notarij; tunc hæres dicti creditoris cum interuentu illius, qui ſtipulatus fuit pro creditore poſtea mortuo, poterint dictũ inſtrumentum liquidare iuxta formam Ritus, prout poſſet dictus defunctus cũ eius interuentu; quia in tali caſu duæ perſonæ faciunt vnã, prout in inſtrumento confecto per Pro-
20 curatorem, non poteſt per ipſum Procuratorẽ inſtrumentum præſentari, & liquidari via Ritus, per rationem ſuperius adductã; ſcilicet, quod inſtrumentũ debet eſſe confectum, & iuratum de facie ad faciẽ, & ad vtilitatem ipſius procuratoris interueniẽtis. Et
21 ſi in inſtrumento adſit iuramentum de facie ad faciem, non tamen ad vtilitatem ipſius procuratoris, nam illud inſtrumentum poteſt executioni demandari via Ritus, quod eſt confectum ad vtilitatẽ propriam illius, qui recepit de facie ad faciem iuramentum; & de iſto inſtrumento loquitur Ritus noſter, quod poſſit executioni demandari, non autem de in-

instrumento, quod fuit cõfectum ad vtilitatem alienam, prout testatur *Frecc. de præsentat. instrumentor. par* 11.*quæst*.3 *à nu*.1. *vsq; ad* 8. vbi concludit, quod tale instrumentum confectum per procuratorem cũ interuentu, vtriusq; & Domini, & Procuratoris, põt fieri liquidatio via Ritus; sed ex eo quia requiritur interuentus vtriusq; citatio super tenore instrumenti
22 facienda, ad instantiam vtriusq; & Domini, & Procuratoris est facienda; Sic, & hæredis facto præambulo, & eius, qui interuenit in stipulatione, & vterq; personaliter comparere debet in Curia ad prosequendũ, & faciendum liquidationẽ, & incusandum contumacias.

Alium ponit casum dictus Dom. *Freccia eadem parte* 11.*quæst*.4. sequenti de instrumento stipulato
23 cum procuratore, & est facta promissio soluendi sibi, & principali Domino absenti, & cuilibet ipsorũ insolidum, an possit instrumentum prædictum liquidari via Ritus per procuratorem, lapso termino conuento; & licet dicat, quod credit, quod sic, ex quo appareat stipulationem conceptam per suam personã, per iura per eum adducta, sed in fine dicit esse aduertendum forsan non videbatur per rationem prædictam totum intellectum adæquatum, quia prędecẽti quæstione dixerat, quod oportebat, quod vterque agat, & in Curia compareat, quia si creditor tantũ compareret, repelleretur, quia non interuenit in contractu, & iuramentum non fuit præstitum de facie ad faciem per superius adducta, licet instrumentum ad sui vtilitatem fuisset stipulatum; si ageret Procurator etiam repelleretur, quia licet interuenisset in stipulatione, & iuramentum de facie ad faciem, tamen non ad sui vtilitatem tendit iuramentum, sed ad vtilitatẽ Domini, vt per *text. in l.*2. *ff.ne*

ff. Neuis fiat, & quia Domino competit vtilis actio contra debitorem, ex stipulatione facta per Procuratorem *l. in causa, § fin. & l. si Procurator meus, ff. de Procuratoribus*; & non solum ex prædictis rationibus, sed etiam, quia debitor posset etiam opponere, quod soluit principali Domino, & quod veniat ipse ad respondendum super liquidatione instrumẽti. Ad hunc propositum vide *Marant. in suo speculo Aduocatorũ par. 6. vers. Producũtur scripturæ, & instrum. n. 27.* vbi inuenies, quod in hoc iudicio executiuo, nec ad media causæ Procurator ex parte actoris interuenire potest procurator, in hoc casu esset tantum adiectus solutioni: Imò si debitor citatus comparens docebit in promptu de solutione principali creditori facta, deberet puniri tamquam calumniator, vt in Ritu, incipit: *Item in casu præmisso*, quod fieri non posset si creditor non age-
ret vna cum eius procura-
24 tore, quia procurator conditionem Domini deteriorem facere non potest, *l. ignorantis, ff. de Procuratoribus; & notat gl. in l. si procurator, vers. non datur.*

25 An autem possit præsẽtari, & liquidari instrumentum contra prodigium cõfectum cum eo, antequam fuisset ei interdicta administratio, & declaratus prodigus, & post multas hinc inde rationes per Dominũ *Rouito super pragm. 4. de liquidatione instrumentor.* determinat, quod potest liquidari secundum iura, & formam per eum posita in dicta citata *Pragmat. à nu. 17. vsq; ad num. 32.* ibi etiã inuenies de furioso; sed tu sequere opinionem Dom.
26 *Galterij de liquidat. instrumentorum secunda secundæ partis, rub. aduertat insuper ad debitorem, num. 20. secunda ampliatione.*

Quid autem agendum esset si hæres creditoris esset pupillus, & vellet præsentare instrumentum via

27 Ritus? Est distinguendum, quod aut pupillus est infãs, idest minor septemnio, & tunc eius tutor tantum agere poterit, cõstito prius, quod infans sit declaratus hæres præuio decreto præambuli, & de solemnibus tutelæ, & in citatione facienda est mentio de omnibus prædictis; nec in hoc casu erit necessaria præsentia pupilli infantis, sed solum tutoris arg. *l.* 1. §. 1. *ff. de administrat. Tutorum.* Si pupillus esset maior septemnio, oportet, quod agat pupillus, & tutor, & ambo compareant in iudicio ad prosequendam litẽ, & faciendam liquidationem, vt in dicta *l.* 1. *& C. qui leg. pro se hab. stan. in illud. l. momentaneæ, ibi maximè cum absq; ff. de damno infecto, l. si finita, §. si pupillus*, & si ageret solum tutor, & allegaret pupillum non esse infantem, Iudex debebit prouidere, quod veniat pupillus coram eo, & interim supersederi in liquidatione, quia per aspectum Iudex cognoscet veritatem, per ea, quæ per *Lanfranc. in decis.* 199. Idẽ
28 esset si instrumentum confectum contra pupillum esset liquidandum, quia eadem distinctione adhibenda erit, quia si pupillus infans obligatus cum tutoris auctoritate est minor septemnio, instrumentum liquidabitur contra eius Tutorem, & non contra infãtem adhuc loqui nescientem: Si verò infans sit maior septemnio, liquidatio fiet contra minorem scientem loqui; sed executio nõ fieret contra eius personã, quia in vinculis non detruderetur, cum doli capax nõ sit; per ea, quæ idem *Galterius in dicto præcitato loco aduertit nu.* 22. Vbi etiam inuenies quid de minore decem, & octo annis obligato cum tutoris auctoritate, & de filio familias minore 14. annis obligato cũ consensu Patris, nulla data læsione, restitutione, & exceptione determinat, quod detrudetur in vĩculis. Quid

autem erit si per procuratorem obligetur, quod infans sit minor septemnio, cum Iudex debet prouidere, quod condemnetur debitor non comparens personaliter, & supersedeatur in exequẽdo, donec fuerit visa persona pupilli, & aliter prouisum, & si deinde visa persona apparuerit infans, decernat quod procedatur ad executionem, si apparuerit maior septemnio, decernat, quod non procedatur ad instantiam tutoris, sine præsentia pupilli per iura superius allegata.

29 Est etiam notandum in hac liquidatione in iudicio seruata forma Ritus, quod etiam contra mulieres debitrices proceditur ad liquidaiionem, & ipsarum carcerationem vigorè Ritus per ea, quæ testatur id. *Galterius in dicta 2.2. partis rub. Aduertat insuper ad debitorem, nu. 17. contra ius*

30 *commune;* Quia de iure communi mulieres etiam pro causa criminali, quãdo pęna est pecuniaria non possunt carcerari, per *Auth. sed nouo iure, C. de custodia reorum, & Auth. sed hodie, C. de officio diuersorum Iudicum*, & ita in praxi seruari testatur; & facit distinctionem de muliere honesta Neapolitana, quomodo, & quid agendum, remitto lectores ad eumdem; & in illis verbis; *Monasterium Monialium cum fideiussoribus;* dico, quod si fideiussorem non habent, non admittuntur ad cautionem iuratoriam secundum *Bald. & alios in l. pleriq; vers. sed & si is, ff. de in ius vocando, & tex. in auth. sed hodie, C. de officijs diuersorum Iudicum*, & meretrix, & in honesta mulier,

31 etiã pro debito ciuili carceratur, vt per *Bald. in repert. suorum singularium, in verbo Meretrix, qui allegat Dyn. in d. auth.* sed nouo iure, nisi dicta meretrix esset coniugata, vt per eũdem *Bald. in l. consentaneũ, C. quomodo, et quãdo Iudex, Ioan. Andreas in addit. ad*

spe-

speculatorem in rub. de iniurijs, *soccinus in regula* 259. *vbi dat nonullas limitaticnes ad dictum Auth.* Sed hic aduertendum esse credo, quod carceratio mulieris conceditur in hoc iudicio liquidationis instrumentorum via Ritus prop-
32 ter periurium, quia dicitur causa criminalis secundum *Afflict. in dict. citata decis.* 64. quia vltra pęnam pecuniariam debitores possunt puniri pęna mutilationis manus. Et in Ritu incipit: *Item seruat ipsa Curia* 179 *in ordine*. Sed hodiernis temporibus numquam vidi fuisse processum ad executionem pęnæ mutilationis manus, seù truncationis, sed solum ad carcerationem debitorum, donec fuerint concordati cũ cre-
33 ditore de debito, & cum Fisco pro pęna pecuniaria. Sed ex communi stilo M. C. Vicariæ, & omniũ aliarum Curiarum hodie exigitur pęna solum tarenorũ pro qualibet vncia, prout testatur *Carau. rit.* 109. *n.* 2.

34 Hic est, quod etiã clericus habens instrumẽtum contra laicum in foro sęculari vti potest priuilegio Ritus nostri, sed cum omnibus adminiculis, præsentare, & via Ritus exequi contra suum debitorem, vt per *Abb. Panorm. in cap. finali, nu.* 1. *de vita, et honest. Cler. Decius consl.* 267. *num.* 8. de communi testatur, quod statuta laicorum fauorabilia habeant locum in ecclesiasticis, & idem *Galterius supradicto citato loco. vers. Aduertat creditor ad personam suam num.* 4.

35 Ratio videtur, quia Clericus circa ea, quæ sunt de ordine processus iudicis, vel executionis ligatur legibus, & statutis laicorum, vt per *Bald. in l.* 1. *C. de Sacrosanctis Eccles. & in lege de quibus* 16. *col. ff. de legib. & in lege* 1. *in fine. C. de cõtrahenda emptione*. *Decius cons.* 275. *num.* 1. *&* 2. licet contrarium voluisset *Freccia de præsentatione instrumentorum* 11. *par. quæst.* 1. citatus per eumdem *Galterium*,

rium, eodem citato loco *nu.* 3. per multas rationes intellectum adæquantes.

36 Primo, quia præsentatio instrumenti respicit criminalitatem, & actor, qui præsentat instrumentum contra suum debitorem tenetur ad pęnam, si malè incusauerit, de periurio, & punitur tamquam calumniator; & quia Clericus nō potest puniri tanquam calumniator coram Iudice seculari, nec se ad pęnam obligare, ergo non potest instrumentum præsentare.

Et à maiori argumentatur, quia Clericus cum vult vti priuilegio, seù beneficio Ritus, & agere via executiua contra suum debitorem, debet conticum qualitatibus suis, prout ipsemet *Galterius* testatur,
37 sed qualitates Ritus important, quod actor præsentans instrnmentum, si malè præsentauit tenetur ad pęnam, & puniatur, vti præuaricator, & sine istis qualitatibus instrumētum non potest præsētari, ergo,

38 Facit etiam, quia si laicus haberet instrumentum contra Clericum, non posset via executiua contra Clericum procedere corā suo Episcopo, primo quia per hunc Ritum Clericus reus arctaretur in carceribus, sed Clericus nō potest pro debito ciuili incarcerari, nisi in casibus notatis per Doctores, quia gaudet beceficio Capituli, *Oduardus de solut. & in l. quod cum co; vt idem Galterius* 2. 2. *par. principali, rub. aduertat insuper ad debitorem, num.* 62. ergo si non potest laicus vti beneficio sui iuris municipalis contra Clericum, nec debet posse Clericus contra laicum, vt seruatur æqualitas, quia contrariorū eadē est discipli-
40 na; & ex multis aliis rationibus idē *Galterius* motus, tamen in fine dictæ quæstionis dixit contrarium audiuisse seruari, nempè Clericum posse instrumentum liquidare, & præsenta-
41 re via Ritus contra laicum, & ita testatur *Carauita*

su-

super rit. 166.*nu.* 34. quod quotidie seruatur in omnibus Curijs Regni, in quibus Clerici ad formam Ritus liquidant instrumenta contra eorum debitores, à qua opinione in praxi non est recedendum.

42 An autem laicus possit agere via ritus, & præsentare instrumenta contra Clericum in foro Ecclesiastico, videndum est, quia certum est instrumenta de iure communi non habere
43 pararam executionem *l. minor* 25.*annis*, *cui fideicommissum*, *ff. de minoribus*; & leges, & statuta laicorũ, quatenus sunt fauorabilia Clericorum, includunt clericos, & Clerici possunt
44 actiuè vti statutis laicorũ, & sic non alius passiuè potest eis vti contra clericos, prout in terminis loquitur *D. Maranta in suo speculo suis disputat. disputat.* 8. *nu.* 14. loquente in casu nostri Ritus 166. de instrumento habente executionem vigore statuti, & di-
45 cit, quod Clericus potest vti statuto contra laicum, & præsentare instrumentũ via executiua, iuxta formã Ritus; non autem passiuè contra eum præsentari potest, quia vigorè statuti, instrumenta paratam habent executionem, vt supra dictum est; & tamen inuento, quod aliter hodie ob-
46 seruatur, nempè laicus cõtra clericum in foro Ecclesiastico præsentat instrumentum contra clericum debitorem, & ita quotidie seruatur in Archiepiscopali Curia Neapolitana, testatur *D. Albericus Oliua super ritu* 37.*dictæ Archiepiscopalis Curiæ*, *nu.* 9. Dicit, quod dictus Ritus sit conformis iuri comm; quia
47 incusatio iuxta formam Ritus sit Curia pro tribunali sedente, interrogatio mediante iuramento, tam actori, quam reo incalescẽte, & ex calore iudicis insurgit criminalitas, & habet executionem paratam, & detentionem personalem. *Paulus de Castro*, & post eum *Alex. in l. cum pro quo*,

nu.

nu.3.ff.de in ius vocando; & alia adducta per eumdẽ *D.Albericum* Sicque cum ab antiquis fuisset dictus
48 Ritus obseruatus in Regno, pro viridi obseruantia imitatur legem, vt in §. *ex non scripto, instit. de iure naturæ*: Sed in Metropolitana Beneuenti, in qua solum stilus Romanæ cur obseruatur, practicaui contra Clericum solum posse incusari instrumenta pro tertiis, seù interessuriis, non autem pro sorte principali; & hoc in causa propria:
49 cum per Ioannem Antonium dell' Homo, Terræ Macchiagodenę fuisset pręsentatum instrumentum contra Clericum Carolum Cælima meum fratrem, tã pro tertiis, quam pro principali in Episcopali Curia Ciuitatis Bouiani, per quã fuerunt expeditæ litteræ executoriales, & executũ; & cum per remedium appellationis fuisset habitus recursus ad Metropolitanã Beneuenti, fuerunt litteræ executoriales reuocatæ, & annullata liquidatione facta, ex eo quia non poterat liquidari, nisi pro tertijs, & non pro sorte principali.

Quid autem de eo, qui tempore, quo recepit pecuniam, obligauit se illam restituturam; & isto medio tempore, effectus est Clericus: an fieri debeat liquidatio contra dictum Clericum in Curia sæculari, habita ratione, & consideratione, quod attendi debeat status, & tempus liquidationis, seù dies confecti instrumenti, quo subiacebatur foro sæculari; an vero in Curia Ecclesiastica, & attendi status, & tempus quo conuenitur, & è contra de eo, qui erat Clericus tempore cõtractus, & dein. de effectus laicus? & videtur, quod *Bal. in l. affinitatis, nu. 5. C. communia de successione, gl. nemo potest in verb, quia nec littera D. ff. de legat.* 1. quod attendi debeat tempus, & status, in quo reperiebatur tempore contractus, in primo casu in foro sæculari, & in secũ-

do casu in foro Ecclesiastico, ad quem sensum videtur ita fuisse decisum in Sacro Consilio per *Grām. in decis.* 10.*nu.*5.vbi remisit nobilem Iacobum de Constantio ad Episcopalem Curiam Puteolorum pro delicto commisso tempore,quo erat Clericus;attamen contrarium obseruatur; & quod debet attendi status,& tempus,quo conuenitur per doctrinam *Alex.in dicta l. nemo potest* & semper obseruaui ita fuisse practicatum,non obstante prædicta *Gram. dec.* quæ loquitur in casu, quo erat ius acquisitum per prius Curiæ Episcopali per informationem, & citationem ad informandum, & contumaciā; & sic per mutationem status, & dimissionem habitus ius acquisitum non poterat auferri iudici Ecclesiastico *l. si quis postea, ff. de Iudicijs.*

50 Dubium aliqui faciebāt de Iudęo,an Iudęus sit persona legitima ad incusandum instrumentum contra alium Iudæum, vel Christianum: & quia tam *Frecc. de præsentatione instrumentorum, part.* 13. *quæst.* 2. quam etiam *Galterius de liquidatione instrument.*1. *part.*2.*partis, rub. aduertat Creditor ad personam suam nu.*5. determinat, quod Iudæus in statutis,& consuetudinibus,quoad honores, & onera connumerari debent,tanqnam ciues de Populo Romano:& quod possint instrumenta liquidare via Ritus,& quod Ritus nō destinxerat,nec nos distinguere debemus cum multis auctoritatibus per eos allegatis.

51 Hic alia insurgit difficultas circa verba nostri Ritus dicentis: Item quod si debitores, aut debitrices quarumcumq; personarū, an Vniuersitas, vel Monasterium possint liquidare instrumenta via executiua, iuxta formam ritus, ex eo quia appellatione personæ Vniuersitas non venit, nec Monasterium,vt per *Bal.in rubr.C.ad sensos,Trebell.in*

hec

hoc DD. dixerunt præsenti idem *Galterius* 1.*parte* 2. *partis Rub.*& cuius nomine agat, numquam vidisse instrumentum in faciem vniuersitatis stipulatum, sed semper ea solere stipulari per Procuratores, seù eius sindicos, si verbi gratia fuit facta stipulatio, seu promissio alicui vniuersitati coram aliquibus hominibus congregatis in vnum more solito congregandi, representantibus vniuersitatem, possent homines d. Vniuersitatis, licet si alij, & non illi, qui interfuerunt stipulationi instrumenta liquidare, quia representãt vniuersitatem; & illi homines, qui interfuerunt stipulationi, non sunt in consideratione, vt singuli, sed tãquam vnum Corpus represen tans vniuersalitatem, quia vniuersitas est nomen
52 iuris, & non personarum, per ea, quæ notantur per *Innoc.in Cap.Grauen,gl.in verſ.Conſiliarius de ſentẽtia excommunicationis.Bal. in Margarita, in verbo vniuerſitas in verſ.4. idem Bal. in l.ſi municeps, ff.quod quiſque uniuerſitatis nomine Bart.in l. aut facta,* §. *non nunquam.ff.de pænis;* nam
53 Iuramentum præstitum in presentia vniuersitatis, quę semper est eadẽ, & nũquã moritur, licet alij homines subrogentur representãtes dictam vniuersitatem, vt per *l.proponebitur, ff.de Iudicijs;* & idem *Bart.in dicto* §. *non nunquam;* quia per homines semper vniuersitas representatur; sed talem stipulationis modum, num. quam vidi fuisse obseruatũ, quia vt plurimum vidi obseruari, quando fuerunt cõfecta instrumenta in fauorem vniuersitatum, & monasteriorum pro debitis celebrari coram Procuratoribus, seù sindicis stipulan-
54 tibus: & tunc opus est in præsentia eorum, qui personaliter interuenerunt in stipulationibus, vnà cum alijs hominibus, seù Monachis representantibus vniuersitatem, seù Monasterium, per ea, quæ superius

55 dicta sunt, etiam de Monachis consideranda, vt puta si aliquis constituit se debitorem alicui Monasterio in aliqua summa, & stipulatio fuisset facta coram aliquibus Monachis congregatis ad sonum campanellæ, vt moris representantibus Monasterium, alij fratres representantes idem Monasterium, etiam si non sint illimet, qui interfuerūt stipulationi, possunt instrumenta presentare via executiua iuxta formam Ritus, licèt iuramentum non fuerit præstitum de facie ad faciem illorum; & ratio est, quia stipulatio non fuit facta Monachis, pro vt singulis, sed tamquam in vnū congregatis, & sic in faciē monasterij representati per
56 Monachos: ex regula, quod monasterium dicitur, propter Monachos, & non sine Monachis. *Bald. in l. 1. col. 2. C. de institut. & substitut.* Ita, & taliter, quod quicūq; Monachi, & homines representantes Monasterium & vniuersitatem possunt instrumenta liquidare, & presentare via Ritus.

57 Quomodo autem vniuersitas est congreganda, & an maior pars requiratur, eo quando, & an præsumatur legitimè congregata, & sollemnitates interuenisse, vide addentes ad *Capicium decis.* 4. & an sufficiat, quod monachi sint vocati ad sonum Campanellæ; & an in actu requiratur maior pars. *Bald. in l. fin. nu. 4. de prediis curialiū si dec. a lib. 6o.* vbi tenet, quod sit opus maiori parte, pro vt de vniuersitate dictum est. Quod non procedere dixit *Galterius de liquidatione instrumētorum 1. par. 2. p. rub. cuius nomine agat, nu. 12.* in Magistris, seù Æconomis aliquorum piorum locorum, seù Ecclesiarum, prout hospitalium, vel similium, seruata forma, *l. Orphanotrophos, C. de Episcopis, & Clericis:* quia succedentes in regimine Ecclesiæ non possunt via exe-
58 cutiua, seruata forma Ritus instrumenta confecta

cum prædecessoribus œconomis liquidare sine eorũ interuentu, quia oportet, quod sint præsentes, etiam prædecessores coram quibus fuit iuratum de facie ad faciem, & successores ideò interuenire debent, quia habent administrationem; & idem *Galterius eadem citato loco*, assignat rationem diuersitatis, quod œconomi considerantur ex propria persona; tamquam Procnratores, Rectores, & Administratores Ecclesiæ, iuxta prædictam; *l. Orphanotophros*, & non tamquam representantes Ecclesiam
59 quia Ecclesia quod dicitur propter œconomos, sicut Monasterium propter Monachos, vt supra dictum est, sed tantum regi per eos qui pro tempore constituũtur; Est tamen verum, quod si œconomi alicuius Anni fuerint stipulati pro se ipsis economatico, seu Magistratico nomine, & Notarius tã quam persona publica pro futuris successoribus in œconomatu; tunc successores in regimine cum solo Notario, sine interuentu prædecessorum liquidare valebunt.

Pro complemento huius tertiæ Recollectionis, stante quod supra visum est,
60 quod vniuersitas, & Monasterium possunt contra suos debitores via Ritus instrumenta præsentare, & exequi, necessario sequitur videre an in hoc seruanda sit æqualitas, & possit contra Monasterium, & Vniuersitatem agi, seù instrumenta præsentari via executiua, seruata forma Ritus. Hanc autem quæstionem adducit resolutam idem *Marin. Freccia de præsent. instrum. in 11. par. quæst. 8. num. 1. allegatus, & idem D. Galterius de liquidat. instrumẽt. 2.2. partis principalis, rubr. Aduertat insuper ad debitorem, nu. 41. & id. Freccia* reddit rationem, quod licet sit eadem, & idẽ populus,
61 & successores in ea, quia ex quo Vniuersitas, non habet animam, non obligatur. *l. proponebatur in iudicijs,*

ciis, & ideò non incurrit in periurium, *tex. est etiã in l. sed si ex dolo*, §. 1. *ff. de dolo*, quia cum non habeat corpus naturale, & non habet animam naturalem, cum sit legaliter separata ab ipsis hominibus, non potest delinquere, *l.* 1. §. 1. *ff. si quadrupes pauper. fecis. dicat.*
62 Ideo etiam non potest excommunicari, iuxta ea, quę traduntur in *Cap. si ciuitas de sententia excommunicationis in 6. Bart. in l. aut facta, §. fin. de pęnis.* Hinc etiã est, quod Vniuersitas non obligatur ex mutui receptione, nisi appareat versa
63 pecunia in eius vtilitatẽ, aliàs soli administratores obligantur; ratio est, quia Administratoribus datur potestas gubernandi, & nõ delapidandi *l. Ambitiosa, ff. de decretis ab ord. faci. & l. Præses, C. de transact.* Nec tanta potestas conceditur in alienis rebus liberè disponendi, sicut in propriis *l. si costante, § si maritus, ff. soluto matrimonio, l. etiam*, §. 2. *ff. de solut. & per glos. in §. sed nostra institut. de emptione, & venditione*; & ita etiam seruatur in Ecclesia *Auth. hoc ius porrectum, C. de sacrosanct. Eccl. & in minoribus, l.* 1. *C. si aduersus creditores*; quia si mutuatum fuit Episcopo,
64 vel Rectori Ecclesiæ, non obligatur, nisi sit in vtilitatem Ecclesiæ, versum dicta *Auth. hoc ius porrectũ, & cap. primo extr. de solut.* & tanto magis hodie Vniuersitates non obligantur; quia Ciuitatibus à iure nõ est data potestas disponẽdi liberè de bonis suis, sed per *l.* fuit introducta certa solemnitas disponẽdi in alienatione rerum suarum, qua non seruata, alienatio, & cõtractus redditur nullus, & inualidus *l.* 1. *&* 2. *C. de uendẽdis rebus ciuit. lib.* 10. ne per indirectum Ciuitates deueniant ad alienationem rerum suarum, introductum fuit, quod nec etiam ex contractu mutui possit obligari, ne accepta pecunia, & sequuta condemnatione pro executio-

ne,

ne,& solutione sint vendē-
da bona Ciuitatis, seù vni-
niuersitatis,seruata forma
l. a Diuo Pio §. *in venditio-
ne,ff. de re iudicata*; & ita
possent vniuersitates in
fraudem legis alienare bo-
na sua. Nec ad hoc obstare
videtur lex omnes Populi,
ff. de iustitia,& iure, quæ in
specie determinat,quod v-
niuersitates possunt facere
legem de modo alienandi
res suas,iuxta *l. prohibere* §.
Plane, ff. quod vi, aut clam.
nec Doctores dicunt,quod
vniuersitates possunt se o-
bligare moti ex ijsdem le-
gibus,& habeant liberam
65 administrationem, conuo-
cato consilio,quia habitan-
tes in ciuitate dicuntur fe-
cisse societatem perpetuā
inter se, & constituunt vnā
personam legalem,& intel-
lectualem, separatam ab
ipsis Ciuibus, quæ non ha-
bet:neq;manus:neq;pedes,
l. Mortuo, ff. de fideiussore, &
tamen est domina omnium
bonorum vniuersitatis. §. *v-
niuersitatis, institut.* de re-
rum diuisione, *l. in tantum*,
§. *Vniuersitatis, ff. de rerum
diuisione*; propterea requi-
ritur Consilium,& congre-
gatio ciuium, Iura; & *DD.*
prædicti loquuntur de Ci-
uitatibus liberis non reco-
66 noscentibus Superiorem
& illæ Ciuitates habent li-
beram administrationem,
& potestatem, *l. Condendæ*;
& non de Ciuitatibus sub-
iectis, & reconoscentibus
superiorem, pro vt sunt
omnes vniuersitates, & ci-
uitates præsentis nostri Re.
gni, in qua adest etiam no-
ua lex inter Regias *Prag-
maticas* scripta, & prolata
tempore D. Beltrani de
Gueuara Vice Regis de
mense Septembris in anno
1650. *sub titulo de admini-
stratione uniuersitatum*, per
quam dispositum fuit vllo
modo posse vniuersitates
contrahere,nec earum sin-
dici, etiam conuocato, &
præcedente Concilio, absq;
Regia dispensatione, seù
assensu; Quæ dispensatio-
nes, seù Regij assensus per
S.Ex. & Regium collatera-
le Consilium semper con-
ce-

ceduntur, cum clausula: Dummodo pecunia accipienda per Vniuersitatem vergat in vtilitatem Vniuersitatis, aliàs Vniuersitas non obligaretur.

67 Sed dubium insurgit, an mutuans pecuniam teneatur probare, pecuniã fuisse versam in vtilitatem Vniuersitatis, dummodò Regii assensus expediũtur, quod vergat in vtilitatem Vniuersitatis; & in hoc DD. dicunt, quod multis modis potest probari pecuniam fuisse versam in vtilitatem Vniuersitatis, naturaliter, & præsumptiuè; naturaliter probatur versa in vtilitatem Vniuersitatis, quando actualiter demõstratur pecuniam expensam fuisse in rem vtilem, seù necessariam Vniuersitatis: præsumptiuè verò probatur duobus modis; Primo, modo quando pecunia numeratur in præsentia totius Vniuersitatis, nempè in præsentia omniũ de Vniuersitate in pleno consilio, vt per *tex. in cap. 1. de deposito, & cap. quod quibusdam de fideiussore*. Secundo modo præsumptiuè probatur, quando tali modo accipitur pecunia séruata forma mandati, vt pecunia vertatur in vtilitatem Vniuersitatis, cuius curam habere debet accipiens, *l. 1. §. ne autem, ff. de èxercit. act.* & apparet acceptam fuisse pecuniam in illam causam, qua indigebat Vniuersitas, *l. fin. ff. de exercitor. actione.* Casus ita fingi potest: Quidam Sindicus pro tempore alicuius Ciuitatis accepit pecuniam mutuo sub prætextu soluendi debita fiscalia, quam pro parte exoluit in satisfactionem prædictorum Fiscalium, & pro parte forsan in proprios vsus conuenit. Adueniente tempore restitutionis vniuersitas conueniebatur, quæ se defendebat, quod nihil acceperat, Creditor replicabat, quod nomine vniuersitatis Administratori, seù sindico fuit soluta pecunia de iure decidendi fuit requisitus; &

quia

quia Iura sunt pro vtraque parte, dixi pro adæquatione intellectus petẽtis, quod Sindici, seù Administratores vniuersitatis dantur, seù ponuntur pro commoditate ipsius vniuersitatis, quia
68 cum vniuersitas sit persona ficta representata, non habilis ad administrandum pro se ipsa, & ideò per *l. fuerunt inuenti*, & instituti Sindici administratores, qui eam obligare possunt, & possunt etiam transigere de re vniuersitatis, vt per *tex. in l. si præses, C. de trãsactionibus.*, possunt vendere, & alienare fructus, ac res mobiles, & tantò magis nunc sumus in causis, vbi apparet decretum, seù Regius assensus, ideo rite, & rectè Creditor non tenetur probare pecuniam fuisse versam in vtilitatem vniuersitatis, quia videtur inconueniens, quod Credi-
70 tor possit se intromittere in negotijs alienis, & curare, quod alieni homines benè gerant negotia sua, & tamquam curatores eorum se gerere, argumento dictæ *l. fin. ff. de exerc. act.* Et sic videtur durum, quod emptores rerum vniuersitatis debeant inquirere, an pecunia expendatur in vtilitatẽ vniuersitatis; tamen re benè perpensa sunt casus distinguendi, quod Iura prædicta loquuntur in alijs cõtractibus, quam in contractu mutui, quia in venditione rerum quotidianarũ non requiritur probatio, quod pecunia sit versa in in vtilitatem vniuersitatis, sed ex doctrina Iasonis in *l. Ciuitas, ff. si certum petatur*, quem *DD.* communiter sequuntur, tenet, quod speciale sit in contractu mutui, quod Creditor debeat probare, pecuniam versam fuisse in vtilitatem vniuersitatis. *Bal. in l. singularia, ff. eodem nu.* 13. Nec obstat quod dicit *Decius in dicta l. Ciuitas*, quod ex regula generali nemo tenetur ex facto alterius sine ratihabitione, quia verum est in priuatis, secus verò in administratoribus, in qui-

bus est regula, quod quis obligatur ex facto Administratoris dicta *l.Præses,C.de transactionibus, Imò Fulgosius in dicta l.Ciuitas dixit,* quod si in mandato contineretur, quod Sindici accipiât pecuniã mutuò in certã causã, in qua necessitas vrgeret, tunc esset necessarium quod Creditor probaret pecuniam mutuatam fuisse expensam, & versam in illam causam, & ita intelligunt *DD.* procedere *tex.in dicta l.fin.de exercitat.act.* Et reddunt rationem, quia in mutuo adest maior suspitio de lapidationis, quam in alijs contractibus.

V.I.D.Marc.Ant.Cœlima.

RECOLLECTIA Quarta

SVMMARIVM.

1 *Iudex in causis liquidationum instrumentorum debet esse vir probus, & bonæ conscientiæ, & quid facere habet.*

2 *Creditor habens instrumentum cum solemnitatibus requisitis in forma probnte, debet illud præsentare, & expedire facere citationem super tenore instrumenti.*

3 *Citatio expedita datur Alguzerijs, vt citent debitorem, & faciant relationem de citatione per eos facta.*

4 *Citatio debet exequi coram duobus testibus extra territorium, in territorio creditur soli Nuntio referenti se citasse,*

5 *Forma relationis facienda per nuntium de citatione exequuta in calce citationis.*

6 *In citatione debet poni tempus ad comparendum secundum distantiam locorum.*

7 *Dies, quo fit citatio per Nuntium debitori, non connumeratur termino citationis adiecto cum figuratione casus, & de differen-*

rentia, quæ sit, sed dicatur in citatione compareat infra quatuor dies, & compareat in termino quatuor dierum.

8 Primæ, & vltimæ contumaciæ, quomodo debent incusari, & quid agendum si adsint dies feriati in medio.

9 Prima contumacia an incusari possit in iudicio exequutiuo, curia non sedente pro Tribunali. Quid de magna Curia, & quid de alijs, an coram Magistro actorum?

10 Forma accusandi tertiam, & vltimam contumaciam.

11 Pœna contumaciæ, quæ sit.

12 Creditor habet electionem aspectandi debitorem per mensem, & non accusare vltimam contumaciam si voluerit, cum declaratione de citato in Ciuitate, vel extra.

13 Citatio expedita si non exequitur infra sex menses, ciruiduatur, & non potest amplius exequi.

14 Vltimum peremptorium an prorogari possit per Creditorem Curia sedente, hora vesperarum, nisi causa interueniente.

15 Executione facta an statim vendatur in hoc iudicio executiuo, vel an expectãdus sit terminus trium mensium.

16 Liquidatione facta ex sola contumacia, non fit executio irretractabilis, ita quod operetur effectum secundi decreti.

17 Debitor ex sola contumacia potest incarcerari, & refectis expensis è carceribus audiri, si vellet opponere cõtra instrumẽtũ.

18 Creditor debet personaliter comparere, & in Curia instare per condemnatione debitoris, & si sit carceratus debet procurare licentiam ab illa Curia, vbi reperitur carceratus, vt possit assistere ad locum iudicij.

19 Liquidatio an possit fieri à creditore infirmo per accessum iudicis ad eius domum, et quid de alijs impedimentis.

20 *Liquidatio instrumẽti an possit fieri per creditorem cõtra debitorem infirmũ per accessum iudicis ad domum dicti debitoris, et quæ sit differentia.*

21 *Mulier honesta non tenetur comparere in iudicio ad faciendum liquidationem contra suum debitorem, sed in Ecclesia quomodo?*

22 *Mulier debitrix honesta, an teneatur personaliter comparere, & quomodo seruandum sit?*

23 *Mulier Monialis an teneatur personaliter comparere ad faciendam liquidationem, & quomodo fiet.*

24 *Honestas semper intelligitur exceptuata.*

25 *Domini terrarum non possunt cogere vaxallos ad trepudiandum in castello causa honestatis.*

26 *Liquidatio instrumenti fit Creditore instante, & precisè personaliter debitore per lecturam instrumenti presentati cum interrogante si habet instrumẽtum pro uero cum declaratione, & num. 28.*

27 *Liquidatio instrumenti, quare fuit introducta.*

29 *Debitor si non comparuit in vocatione tempore liquidationis, & fuit effectus contumax, quomodo euitabit pænam contumaciæ, & quid si fuissent plures contumaces.*

RECOLLECTIO Quarta.

IDem Dominus Galterius postquam tractauit de omnibus requisitis in instrumento ad finem, vt possit præsentari seruata forma Ritus, & exequi; in tertia parte principali, *rub. Præsentet instrumentum in Curia*: tractauit de modo procedendi ad citationem super tenore instrumenti; & ibi aduertit creditorem, quod debet habere instrumentũ in manibus; et quod iudex debet esse vir probus, & bonæ conscientiæ, ita, vt visa validitate, seu liquiditate, & illiquiditate in-

inſtrumenti, hortet, vel dehortet creditorem, ità ſequendo ordinem prædicti Domini Galterij; poſtquã viſum eſt dè ſollemnitatibus, & de liquiditate, & illiquiditate, & à quibus, & contra quos inſtrumenta præſentari poſſunt; ſequitur nunc videre, quod creditor habens inſtrumentũ liquidum reaſſumptum in forma probante in carta de pergameno cum ſollemnitatibus vt ſupra enarratis, ſi agit, & vult præſentare inſtrumentum in M. C. V. debet adire vnũ ex Actuarijs cauſarum criminalium 4
dictæ M. C. & ſi alterius Curię habentis iuriſdictionem contra debitorem, debet adire iudicem, & expediri faciat citationem, citando ſuum debitorem, vt infra certum terminum, ſecundum diſtantiam locorum, perſonaliter comparere habeat in loco iudicis hora cauſarum reſponſurus ipſi creditori ſuper tenore talis inſtrumenti præſentati, iuxta formam Ritus, ſuper petitione pecuniæ in eo promiſſæ; & expedita citatione, datur Alguzeriis ſeu Nuntijs, vt citent debitorem perſonaliter, ſi reperiri poterit, aliàs domi ſuæ ſolitæ habitationis; qua intimatione executa, ſeu facta, Nuntius in calce dictæ citationis faciat relationem, quod citauit perſonaliter, vel domi dictum debitorem coram duobus, vel tribus teſtibus, qui in relatione ſpecificè nominari debent; & ſi teſtes ſciant ſcribere, faciat eos ſubſcribere in calce ipſius citationis per diſpoſitionẽ *Conſt. Regni, citationis litteræ; & ibi Gl. & Andreas de Iſern. in pragm. diſpendia litium, vers. quilibet agere volens*, quod eſt intelligendum ſi citatio fiat extra territoriũ: nam in territorio ſoli Nũtio creditur, referenti ſe citaſſe aliquem, abſq; quod faciat mentionem dè teſtibus, vt in *Conſt. Regni, in Ciuibus: quam conſtit. ita explicat Paris de Puteo in tractatu de ſindicatu, in*

uer.

uer. sic fuit magna quæstio in huiusmodi. V3.

5 Die &c. in Curia Ciuitatis Iserniæ talis Nuntius, seù Alguzzerius Curiæ cũ iuramento retulit mihi infrascripto Actuario hodie prædicto die se citasse talẽ de tali personaliter, vel domi suæ solitæ habitationis, modo & forma vt supra in litteris citatorialibus cõmissis, præsentibus pro testibus N. N. Si fuit executa extra territorium, sed si in territorio non requiritur nominatio testium, nec præsentia, quæ relatio est pars substantialis citationis est omninò necessaria, & in calce citationis in scriptis redigi debet, vt per *Afflict. in dicta Regni constitution.* citationis litteræ, & facta relatione prædicta, expectatur lapsus termini in citatione appositi ad comparendum:

6 Nam in citationibus debet apponi tempus ad comparendum, secundum distantiam locorum, vt supra dictum est; & secundum qualitatem personarum, viarum, & negotiarum, *cap. quoad consultationem de re iudicata, & Afflict. in constit. Regni, causas num. 6. Rub. qualiter iustitiarÿ*. Quo expectato, Creditor accusat primam contumaciam; & hic magnopere idem *Galterius* di-

7 cit esse aduertendum, quod dies, in quo fit citatio per Nuntium debitori non numeratur in termino adiecto in citatione. An verò dies termini computetur in termino, vide *DD. & Bart. in l. 1. ff. si quis caut.* vbi videtur facere differentiam si dixit infra quatuor dies, vel termino quatuor dierũ; verbi gratia si citetur debitor, vt compareat infra decem dies, illa prima dies, in qua exequitur citatio, non computatur in termino, ita dicit *Rouit. Rit. qui incipit, itẽ seruat dicta Curia in citatione*, & vltima die termini accusatur prima contumacia, veluti die prima Iunij citatur debitor, vt compareat infra quatuor dies, illa prima dies non computatur

tatur in termino,sed vltima die termini,quæ est quinta comprehensa cum prima, & sine prima die citationis est quarta:idest vltima dies termini,debet accusari prima contumacia ; & si esset dies feriata, deberet accusari die sequenti non feriata; & si post vltimam diem termini feriatam,essent alij dies immediate sequentes feriati, intelligitur semper de die sequenti iuridico.Ita de iure communi est *Testus in l.dits C.de ferÿs,& adest Ritus M.C.Vicariæ* 80.*in ordinæ, incipit; Item ipsa Curia,& ibi Carauita*. Et in incusatione contumaciæ debet fieri mentio,quod tali die non fuit recta Curia ob diem festum Dominicę, vel alterius festiuitatis, & quod ideo non fuit incusata prima contumacia : & hoc non solum est obseruãdum in hoc iudicicio executiuo præsentationis instrumenti via Ritus, sed in omnibus alijs iudicijs, etiã si illa die sequenti iuridica post festiuitatem non regeretur Curia pro tribunali propter impedimenta, & potuisset regi, si Iudex voluisset, potest accusari prima contumacia,ex eo quia prima contumacia in M.C. Vicariæ potest accusari coram Magistro actorum, vel Scriba omni hora illius diei;sed in alijs curijs huius Regni primæ contumaciæ semper accusantur Curia sedente pro Tribunali. Ratio diuersitatis est,quare in M.C.V.&nõ in aliis Curiis huius Regni, quia in curiis regni quotidie de mane regitur Curia pro Tribunali, sed in M.C. nõ regitur pro tribunali, nisi bis in hebdomada.Et postquãfuerit accusata prima contumacia, vt supra,expectato alio integro triduo, & eo elapso, est in potestate Actorum
10 accusare vltimam contumaciam, & vocari facere debitorem, Curia pro Tribunali sedẽte, in hunc modum,vz. Die,&c.Curia pro Tribunali sedente, vocato in banco Iuris Francisco Antonio Varlecca, ci-

tato

tato, relato, e non comparente per se, vel per alium, qui cum excusaret, per publicum Nuncium, & seruientem C. Terre N. alta, & intelligibili voce, more preconis, vt iuris, & moris est, & quia non comparuit, nec aliquis pro eo, qui ipsius iustam excusationem proponeret, & allegaret, ideo instante parte, dictus Franciscus reputatus contumax, & condemnatus ad pęnam in citatione contenta, & dictum, quod exequatur contra ipsum realiter, & personaliter ad electionem creditoris pro debito, & pęna in citatione contentis, vigore cuius interlocutoriè capitur debitor de persona, tum quia fuit interloquutum in vltimo peremptorio, tum etiã quia tanquam contumax capi potest de persona, vt per *Carauit. ritu* 170. *post nu.* 11. Pęna autem contumaciæ est trium tarenorũ pro qualibet vncia: Sed est aduertendum, quod est in potestate Actorum si elapso triduo volunt incusare cõtumaciam, vel expectare possunt infra mensem, si citatio esset facta contra existentes in Ciuitate; Si verò contra existentes extra territorium, possunt expectare infra duos menses; infra quos omninò debent incusare vltimam contumaciam, aliàs citatio expiraret, & circumduceretur, vt per *Carauitam ritu* 123. *incipit*, *Item seruat dicta Curia*, *nu.* 8. Et qui impe-
13 trat citationem à Iudice illam exequi facere debet infra sex menses, & non potest illam semper tenere, sed impetrans dictam citationem, debet curare citari facere suum aduersarium infra dictos sex mẽses, quibus elapsis citatio euanescit, & non potest amplius exequi, vt in *ritu* 121. *& ibi Carau. &* 122. Et in casu quo aliquis cõtradicat, vt non possit prorogari vltimum peremptorium per creditorem, nisi iusta interueniente causa, Curia sedente pro tribunali,

li, hora vesperarum, comparente, & instante Creditore personaliter, vt in Ritu, qui incipit: *Quod si debitores*, vocatur debitor, per Nunciũ, seu tubittã, vt supradictum est, & fit interlocutorium, per quod debitor condemnatur ad pænam; & si exequitur in bonis, statim expeditur mandatum ad reluendum, & proceditur ad venditionem, non expectato termino trium mensium; & si mittatur Creditor in possessionem bonorum debitoris pro mẽsura debiti petiti ex primo Decreto, causa rei seruandæ in forma,
16 licet instrumẽtum habeatur pro liquidato, ex sola contumacia, non fit executio irretractabilis ita, quod operetur effectum secundi Decreti, vt per *Bal. in l. Consentaneum C. quomodo, & quando Iudici, & in Auth. Ei, qui C. de bonis, auctorit. Iudic. poss.* & pro via executiua, ex auctoritate
17 huius Ritus debitor, ex sola cõtumacia potest incarcerari, & incarceribus refectis expensis, si vellet aliquas exceptiones opponere, an possit? vide *Galterium de liquidatione instrumentorum tertia parte nu.*
18 *26. & 27.* Et quia supradictum est, quod Creditor personaliter debet comparere in Curia, & instare ad petendum condemnationem sui debitoris. Et si Creditor tempore, quo vocatur, eius debitor esset carceratus, debet procurare licentiam, si ab illa Curia, vbi reperitur carceratus fiat liquidatio, vt possit accedere personaliter ad locũ Iudicij, pro vt fit in M. C. ibi impetratur licẽtia, quod possit ascendere ad Salam, vbi regitur Curia, associatus cum Algozerijs, quia non sufficit esse in eodem palatio, sed in loco proprio, vbi Curia regitur pro tribunali. Et idem dicendum est de infirmo, quia Creditor infirmus etiam tenetur personaliter comparere ad insistendum in Curia, quia Creditori agẽ-

ti via Ritus non prodest impedimentum infirmitatis, qui omnino tenetur comparere personaliter,
19 nec per accessum Iudicis ad domum Creditoris infirmi potest fieri liquidatio, vt refert *Galterius prima parte secunde partis, rub. Aduertat Creditor ad personam suam num. 32. ver. 6. & vltimo*: fuisse decisum in S. Consilio per Dominũ *de Franchis decis. 676. in anno* 1599. Et idem dicendum est de alijs impedimentis, quod secus est in debitore infirmo cõuento. Ratio diuersitatis est, quia Creditor agens venit spõtè, reus verò venit coactus, & propterea pro eo admittitur excusatio impe-
21 dimenti. Sed in muliere Creditrice aliud dispositũ fuit, testatur idem *D. Galterius, eadem citata rub. & loco nu.* 1. vbi dicitur, quod si mulier creditrix, quæ vult presentare, & liquidare instrumẽtum contra suum debitorem, si sit honesta, non tenetur personaliter comparere in Curia, sed sufficit comparere in Ecclesia propinquiori Curiæ causa honestatis; & vocato debitore in banca, vnus es Actuarijs accedit ad interrogandum dictam mulierem creditricem ad Ecclesiam, an præsentet instrumentum contra suum debitorem; & facta relatione oretenus ab Actuario, Curia pro Tribunali sedente, condemnatur debitor vocatus non comparens personaliter, vel non excusatus. Et idem *Galterius tertia parte principali Rubrica Personaliter in Curia comparens infra*
22 *num.* 18. Et idem est de muliere debitrice citata, dũmodo sit honestà, tenetur comparere persoualiter propinquiori Ecclesia, & Curia sedẽte mittitur Actuarius ad eam, cui ibidem repertæ, aduertit, quod non discedat quia remaneret condemnata tamquã contumax in non comparendo, & recta, Curia Iudex accedat ad Ecclesiam, &

fit liquidatio, & siue affermet, siue neget, datur sibi Domus propria loco carceris, vel alia, donec fuerit aliter prouisum, & de omnibus est videndus idem *Galterius in Rub. aduertat*
23 *insuper ad debitorem*: ibiq. inuenies etiam de Moniali, que non potest exire de Monasterio propter prohibitionē sui Superioris causa honestatis, & pudicitiæ conseruandæ, vel Regulam suæ Religionis, mittitur Actuarius ad Monasterium eiusdem loci, dummodò sit in Ciuitate ad explorandam voluntatem; & sufficit, non obstante quod non compareat in Ecclesia propinquiori, sicuti dictū est de alijs mulieribus honestis in sæculo. Ratio est,
24 quia in qualicumq; dispositione, quantumuis generali intelligitur semper, excepta honestate, quibuscūq. rebus, quas dignior ante citanda, secundum *Bald. in l. Quod ex liberà C. de oper. lib. & Arg. l. Nepos. Procul. ff. de verò significat. & l. Iulianus, ff. si quis omissa causa.* Hi autem actus tolerantur in Ecclesiis, quia ad Tribunali tuendam honestatem diriguntur, & voluntariè fiunt ab ipsis personis, quæ nolunt ad Tribunal accedere eorumque fauore promictuntur, dūmodo sine strepitu fiant ad *text. in c. decet, & cap. cum in Eccleijs de num. Eccles. vbi Abb. & alij; Suar tom. c. de relig lib. 3. cap 4. num.* 15. Et ex hoc educitur, quod Domini terrarum non possunt cogere Vassallos ad trepudiandum in Castello, seu Palatio, quia ab omni Superioritate ius honestatis dicitur esse exceptum ex iuribus superius allegatis.

Et si debitor citatus cōparuerit personaliter ad respondendum super tenore instrumenti suo Creditori tempore eius vocationis in vltimo peremptorio, Curia pro tribunali sedente, præsente Creditore in iudicio, Iudice pro Tribunali sedente, instante Creditore, legitur

26 instrumentum præsentatũ de verbo ad Verbum, vt iacet, & si non opponitur aliqua exceptio, vt infra dicemus, illiquiditatis, vel alterius defecti substantiæ, aut solemnitatis apparentis in promptu contra instrumentum vt supra dictum est, *in prima, & secunda recollectione*, fiet interrogatio, medio eius iuramento debitori, si habet instrumentum pro vero; & similiter Creditori cum iuramento si quid recepit de quantitate in instrumento contenta, & pro quanta summa illud præsentat, & liquidat; & habita responsione ab vtraq. parte, reducitur in scriptis in actis per Actuarium in illo actu, Curia pro tribunali sedente; & hæc dicitur liquidatio instrumẽti. Quæ forma liquidationis fuit introducta per Ritum 168. incipit *Itẽ nota, quod assignas*: & fuit
27 introducta ad reprimendum hominum perfidiam, & fallacias, quos nec conscientiæ stimuli, nec propriæ existimationis, aut fidei ratio satis mouent. Et si debitor neget, siue affirmet, vel alleget satisfactionem, vel alios defectus ipsius instrumenti, debitor statim est carcerandus; & datur terminus vtrique parti ad probandum, & defendendum circa exceptiones allegatas, vt in nostro Ritu; & in Ritu, qui incipit: *Nota quod ille Ritus* Deindè proceditur ad examinationẽ testiũ Iuris ordine seruato, citatis prius partibus ad vidẽdũ iuramẽta testiũ, *l. si quando. C. de testibus*, fit etiam publicatio, & conclusio, & proceditur vt in cæteris alijs causis. Et si debitor non probat exceptiones appositas nõ liberatur à carceribus, donec soluat debitũ suo Creditori, et pænam fisco: Si verò probat, statim liberatur, & excarceratur, & condemnatur Creditor, tamquam calumniator ad pænam, & ab eo exigitur.

Et si in illo actu vocationis debitor non comparuerit, &

rit&fuit effectus cõtumax, ad euitandum pęnam contumaciæ contractæ, dictus debitor contumax reputatus poterit eadem die com-
29 parere personaliter, vt vulgariter dicitur de sero, in quo fuit contumax reputatus, vsq; ad primum sonum, quod est vsq. ad cantum galli, vt per *Carauitã supra Ritu* 28. *in ordine nu.* 1. *& in Ritu* 106. vbi determinat, quod istæ comparationes, quę fiunt de sero, debent fieri coram Iudicibus, & non coram Actuarijs, pro vt olim fiebat, quod iustum fuit per Regiã Pragmaticam 13. *de offic. Magist. Iustit. ad euitandum fraudes.*

Et si fuissent plures contumaces condẽnati, & vnus ex illis de sero comparuisset, euitabit pænam contumaciæ etiam pro alijs, qui non comparuerunt: sicq. potest venire ad primam, & facere insistentiam, & Creditore non comparent e, potest obtinere licẽtiã pro se, & pro ailjs, Ratio est quia debitor ille talia opponere possetad impediẽdã liquidationẽ, quæ facienda erat pro eadem re, seu quantitate, per quam omnes simul erãt obligati, & vna & eadẽ erat defensio, & vnius alijs prodest. *l. Loci §. Si fundus, ff. Si seruitus iudicetur l. Si communem ff. Quemadmodum seruitur amittatur.*

I.V.D. Marcus Antonius Cœlima.

SVM-

RECOLLECTIO Quinta.

SVMMARIVM.

2 *Citatus super tenore instrumẽti, nõ est audiendus, nisi in vinculis, vel facto deposito, cum declaratione, & an fieri possit depositum penès tertium, & præsentari scriptura.*

2 *Deposita debent fieri integra, & non defectiua, & num. 4.*

3 *Deposita non debent fieri pænès Iudicẽ, vel Actuarium, & an penès Personam Ecclesiasticam.*

5 *Vsuræ an currant, si non sit integrum depositum?*

6 *Depositum tollit criminalitatem Ritus, & facto deposito debitor potest opponere omnes exceptiones, & personæ priuilegiatæ possunt petere beneficia, provt in causis ordinarijs.*

7 *Instrumenta an possint reprobari per exceptiones?*

8 *Prauentio an impediat liquidationem instrumẽti, & quomodo sit facienda cum declaratione?*

9 *Præuentio coram quo Iudice fieri debet, & quid si fuerint præuẽtioni renunciatum?*

10 *Præueniens debitor an teneatur impetrare absolutionem à iuramento, & quanto tempore ante mãturatam solutionem, cum declaratione.*

11 *Exponitur figuratio casus cuiusdam præuentionis.*

12 *Metus quid sit, & quotuplex cõsideretur, & n. 19.*

13 *Metus grauis, & probabilis quomodò consideretur, & quomodo leuis, & improbabilis?*

15 *Quot conditiones requirantur ad metũ cadentem in virum constantẽ, & quæ sint?*

15 *Metus non debet præsupponi nisi probetur.*

16 *Metus purgatur per spontaneam solutionem.*

17 *Metus qualitates an sint specificandæ in libello?*

18 *Opponens exceptionem metus debet offerre pecuniã receptam.*

20 *Omnis actus debet regu-*

la-

lari à voluntate, & potestate agentium.

21 *Voluntas Creditoris requiritur in contractibus quē voluerit obligatum habere, & debitoris etiā, & num 25.*

22 *Actus agentium non operatur vltra intentionem.*

23 *Obligatio non excidit intentionem Creditoris cū declaratione.*

24 *Institutor debet habere animum obligandi Dominum, & debet apparere in contractu, quod eius intuitu contraxit.*

26 *Sine cōsensu suo nemo obligatur.*

27 *Què interuenit nomine suo, excludit nomen alterius.*

28 *Obligatus nomine officij, an obliget se, & suos hæredes?*

29 *Gontrahens Pluribus nominibus, deficiente vno nomine, an trasmittat Iura ad suos hæredes liquidandi ex nomine remanso, vt in casu cum declaratione, & num 23. 25. 38. & 40.*

30 *In contractibus mens contrahentium inspicitur, quæ ex verbis cōcipitur.*

31 *Verba sunt earum, quæ in anima sunt passionū notæ.*

33 *Mater plus dolet de incōmodo filij, quam Pater.*

34 *Filius sapiens lætificat Patrem, & filius stultus est mestitia matris.*

35 *Mater potest pro se, & filijs stipulare, & quærere.*

37 *In contractibus perfectis, dum dictantur est locus pænitentiæ.*

38 *Mater dicit relationem ad filios, & sunt nomina cor relatiua.*

39 *Mater in procreatione filiorum dicitur radix, & filius pomus siue flos.*

41 *Iuramentū defuncti an transeat ad hęredes incō. tractibus?*

42 *Exceptio beneficij l. quod cum eo. an possit opponi aduersus instrumentum, & impediat liquidationem, & executionem.*

43 *Iurameutum non mutat naturam contractus, nec tollit priuilegium, filio fam: concessum, & regulatur*

latur ex actu suo, & nu. 57.
44 Exceptio beneficij, quod cũ eo. an impediat executionem sententiæ, & euitet carcerationem.
45 Beneficio l. Quod cum eo, an renunciari possit, quomodo, & quibus verbis cum declaratione num. 47.
46 Relatum, & in referente.
48 exceptio falsitatis, an impediat liquidationẽ istrumenti, & quomodo.
49 Exceptio solutionis probata in promptu tempore interrogationis, an impediat liquidationẽ, & carcerationẽ, & quomodo procedatur?
50 Dilatio omnis in Iudicijs est communis.
51 Probatio solutionis, an possit fieri per testes, quãdo fuit conuentum in contractu, quod fieri debeat per scripturas; & quod si scriptura fuit cõfecta, & ammissa?
52 Pactũ appositũ in instrumento, quod probatio solutionis non possit fieri per testes, sed solum per scripturas, an valeat, & quando non?
53 Priuilegio inducto ad publicam valitatem, an renunciari possit, quid si fuit renunciatum cum iuramento, & quid de renunciatione in Iudicijs?
54 Accusator non potest videre processum informatiuum, nisi renunciet futuris probationibus.
55 Instrumentum fuisse confectum ex conuentione partiũ quomodo cognoscatur?
65 Exceptionem numeratæ pecuniæ, an impediat liquidationem e quotuplex sit, quæ sit priuilegiata, & quæ non priuilegiata, & infra quot dies opponi debeat, & num. 58. & aduersus obligtloanes penis acta, & priuatas scripturas & num. 62.
49 Exceptio non nemeratæ pecuniæ cèssat quando debitor cepit cognoscere

re debitum.

60 *Exceptio rei non traditæ infra quot tempus opponi debet.*

61 *Nomen pæcuniæ quot modis accipitur.*

62 *Exceptio non numeratæ pecuniæ an trasmittatur ad hæredes? & quibus personis competit?*

63 *Liquidatio instrumenti aliquid fit per aliud instrumentum liquidum, & quomodo cum declaratione, & num. 64.*

65 *Pactum solitum in contractibus dicitur pars contractus; & dat formã actioni, & quid de pacto apposito in contractu ex interuallo?*

66 *Vbi est eadem ratio, debet esse eadem dispositio.*

67 *Scripturæ forenses an possint præsentari in carta bambacina ad impediendã liquidationem, ueluti acta Iudiciaria, quomodo, & quando cũ declaratione.*

68 *Testes reprobati non probant.*

69 *Repulsa respicit defensionem causæ.*

70 *Probatio, facta per scripturas, an dicatur probatio facta in promptu?*

71 *Reuelationes factæ ad litteras monitoriales, an impediant liquidationẽ instrumenti?*

72 *Copia quietationis, seu solutionis cum signo Notarij, an impediat liquidationem instrumẽti, & carcerationem, & quid faciendum?*

73 *Simulationis exceptio, an impediat liquidationem instrumenti, & carcerationem; & quot testes requiruntur ad probandum; & n. 77.*

74 *Species simulationis quot sint, & quomodo dicatur instrumentum simulatum?*

75 *Exceptio simulationis tã agendo, quam excipiẽdo debet in specie declarari, & exprimere causã, & radicem simulationis.*

76 *Instrumentum simulatũ non est propriè instrumen.*

mentum, sed habet solùm figuram instrumenti, nec nomen, nec debitum continet, & n. 79.

78 Simulatio, & fictio non præsumitur, nisi probetur.

80 Clausula solita apponi in instrumento (omnia, & singula in instrumento contenta, omnia esse vera) an faciant, cessare simulationem?

81 Renunciatio exceptionis simulationis, quid operetur, & an possit opponi de simulatione.

82 Exceptio hostica, an impediat liquidationem instrumenti? & cui competat, & quando?

83 Procurator, an admittatur ad allegandum absẽtiam debitoris citati? & quid de amico, vel consanguineo, & n. 85. & quid faciendum per Iudicem? nu. 89.

84 Procurator, an admittatur ad defendendum quando citati sunt super denarium numerum, & quid faciendũ pro Creditore, ne admittatur Procurator?

86 Absentia malitiosa allegata per Procuratorem pro debitore citato, an admittatur, & quæ sit malitiosa absentia, & num. 88.

87 Pro debitore personaliter citato non admittitur excusatio absentiæ.

90 Allegans absentiam, an teneatur cauere de præsentando, & quotuplex sit absentia.

91 Absens citatus potest petere restitutionem in integrum, & quis dicatur absens, & quid de absente contumace, seù bannito.

92 Elapso termino, dato ad denunciandum, an debitor iterũ sit vocandus, Curia pro tribunali sedente, si nõ venerit.

93 Debitor si se præsentauerit tempore statuto ad faciendam liquidationẽ se paratum respondere, & Creditor non curauit aliter instare, quid faciendum?

Pro-

94 *Procurator allegãs, quod debitor citatus sit exul, vel relegatus, quod non potest accedere ad Curiam, an faciat suspendere liquidationem, & executionem instrumenti?*

95 *Exul, & relegatus potius tenetur obtemperare exilio, quam citationi super tenore instrumenti, & non potest contumax reputari num. 97. & quid faciendum, si nõ vult expectare finem exilij, & num. 99.*

96 *Instrumenta, an habeant paratam executionem, & quomodo, & quando?*

98 *Iudicium non est incipiendum ab exceptione.*

100 *Exceptio infirmitatis allegata, an faciat supersedere liquidationem, & euitare contumaciam, & quomodo allegatur, & quæ requirantur?*

101 *Infirmitas quid sit? Termino dato ad comparendum debitori citato, si non comparet, an sit vocandus per tubittam Curia pro tribunali sedente, & quid faciendum?*

102 *Debitor citatus si est infirmus in Ciuitate Curiæ citantis, quid faciendum, an possit fieri liquidatio, & quomodo, & quid de infirmitate leui?*

103 *Infirmus domi retentus loco carceris, durante infirmitate, an possit apponere aliquam exceptionem, & illam probare, & quid faciendum.*

104 *Infirmitas propinquorũ, an impediat liquidationem instrumenti.*

105 *Debitor infirmus, si est pauper, quid faciẽdum, & quomodo practicandum.*

106 *Contra debitorem carceratum, an possit etiam contra ipsum fieri executio in bonis?*

107 *Executio contra debitorẽ vocatum in banco Iuris, & contumacem, debet fieri seruata forma legis à D. Pio, §. iudicatione, ff. de re iudicata, quod si non fuerit reuocatum*

&

& quomodò cum decla. ratine?

RECOLLECTIO Quinta.

POstquam recolleximus õnia requisita in instrumentis ad finẽ, vt possint præsentari, seruata forma Ritus exequi:& de modo procedendi in hoc iudicio exequutiuo; superérat vltimò videre de aliquibus exceptionibus, quæ à reo citato super tenore instrumẽti opponi possunt ad impediendam liquidationem, & illius executionem, & carcerationem, meritò de aliquibus tractabimus, cum certa sit illa cõmunis assertio, quod citatus super tenore instrumenti non debet audiri, nisi incarceribus, vel facto deposito; circa quod idem *D. Galterius in Rub. Aut. facta liquidatione, n.* 51. notat, quod debitor secum debet afferre pecuniam in Curia; & si opponat, quod non debet aliquid suo Creditori, quia soluit, & satisfecit; & offert depositum, vt non liberetur; dicit quod eo casu non fiet liquidatio, sed pecunia deponeretur penès fidum tertium; & deindè posset liberari Creditori, cum cautione de restituendo in casu succũbentiæ. *Et Prag.* 4. *de Instrumẽtorum liquidatione*, quæ ordinauit ad impediendam liquidationem instrumentorum, deposita aut Scripturæ recipi non debere, dixit in Sacro Consilio, non autem in M. C. V. vel in Curia, vbi fit liquidatio tempore vltimæ contumaciæ, seù insistentiæ, Curia pro tribunali sedente, quia Prag. illa fuit prolata ad euitandum abusum præsentationis scripturarum, & depositorũ, quæ admittebantur in aula Sacri Consilij post contumaciam cõtractam, seù post insistentiam factam, & erat in præiudicium partium, nẽpè Creditoris, & Fisci, quia diffe-

ferebatur solutio Creditori, & fisco auferebatur Ius pro pæna quæsita: Sed in casu proposito non fit præiudicium neque parti, neq; fisco; parti non fit præiudicium, quia non differtur solutio, imò anticipatur; non fisco, quia ante contumaciam contractam, & ante liquidationem, Ius non fuit pro pæna acquisitum fisco. Ita in terminis *D. Rouitus super dicta Pragmatica 4. n. 5.*

2 Quæ quidem deposita debent fieri integra, explicita, & non defectiua, nec conditionata, alioquin deposita essent nulla *l. Obligationes. C. de solut. Bal. in Cap. conquerente, num 1. Ver. integrè de restit. spoliatorum*: Quia si Creditor opponeret de deposito nō integro, posset, & fiet liquidatio, vt sæpè contingit.

3 Nec possunt fieri penès Iudicem, vel Actuarium, vt voluit Idem *Rouitus in dicta Prag. 4. de Instrumentorum liquidation. num. 11. & 12.* dicit, quod si depositum fuit factum penès Personam Ecclesiasticam *per Surd. opinionē* nō possit Iudex Secularis cōtra eam procedere in liberatione depositi: Et addo, quod depositum debet esse adeò integrum, quod si deficeret in nummo, nō valeret, vt per *Alex. Con. 75. nu. 8. lib. 7. Bal. in lege Quamdiù nu. 3. C. de distructione pignorum*; & debet fieri tam de sorte principali, quam de fructibus, seù

4 interessurijs, vt per *textum in l. Tutor, §. Lucius, ff. de Vsur. l. Vsuras, C. eodem tit. Couarru. veriarū resolut. lib. 1. cap. 15, nu. 10.* Ita, & taliter, quod si nūmus deficiat, siue ex capitali, siue

5 ex fructibus currunt semper vsuræ. *Glos. in l. Res bona C. de contrahenda ēptione. Gallucius de Controuersijs Creditorum par. 4. cap. 7. num. 7. Regens Lanarius cons. 29.* Nec audiretur debitor, sicut de cōtumace dicitur, vt per *Viui Decisione 11. nu. 2.* Nam per deposi-

tum tollitur criminaliras, & rigor Ritus, licèt debeat liberari Creditori, vt supra dictum est *n.* 1. cum cautione de restituendo in casu succumbentiæ; tamen debitor potest omnes exceptiones, quas habet, *probare*, & si non poterit probare exceptiones oppositas in primo termino, & esset persona priuilegiata, vt minor, vel mulier, poterit obtinere beneficia, stante quod iudicium per depositum efficitur ordinarium; & agere super recuperatione pecuniæ, vt per *Constitut. sine causa; & per ea, quæ Bartolus in l. Iulianus, ff. de condit. indebiti, & in l. 1. §. Parui, ff. Quod vi, aut clā, vbi in specie loquitur de executione Instrumēti guarantigiæ*. Alias si non fieret depositum prædictæ Personæ, non possent petere beneficiū restitutionis, quando agitur hoc iudicio extraordinario executiuo secundum formam Ritus, quia causæ super liquidationibus, & exceptionibus instrumentorum sunt criminales propter periurium, vt dictum est supra, & ita tenet *Affl ict. decis.* 64. & in criminalibus restitutio in integrum denegatur, *vt per Speculat. in tit. de except. & replicat.* § 3. *num.* 8. *Bart. in l. Auxilium, ff. de Minoribus, & Afflict. in Cōstit. minorū Iura* 14. *notab. nu.* 7.

7 Hinc est quod instrumenta quantumcūq; sint authentica, possunt reprobari per non nullas exceptiones, quas infra proponam, vt *in Cap. cum Ioan. de fide instrumentorū, l. cū precibus. C. de probationibus Glos. in Cap. Cum à nobis, in verbo Testimonia, de testibus. Cā. Si testes in Vers. eorum* 4. *quæst.* 2. *& quæst.* 3. Primo ponam, quod si debitor propter aliquā causā vellet, cōtra instrumentum opponere, & fecisset præuentionem, petendo condemnari suum Creditorem ad cācellandum, & delendum instrumentum

tum

tum debiti, euitabit carcerationem, & liquidationē, *vt ꝑ Ritū* 190. quæ incipit, *Inprimis*; sed aduertendum est de multiplici in hac præuentione faciē. da, in primis quod præuē. tio debeat fieri, antequam debitor sit citatus super tenore instrumenti ad in. stantiā sui Creditoris, ita, & taliter, quod si eadem die fit præuentio per debitorē, & citatio per Creditorem super tenore instrumenti, talis præuentio non impedit liquidationem, & interrogationē instrumenti, vt per *Afflit. decis.* 387. *nu.* 4. quia nul. lo habito respectu ad horas diei proceditur ad liquidationem. Imò est aduertendum quod antequā debitor faciat citare suum aduersariū ad cassandum instrumētum, seruata forma *Regiæ* Pragmaticæ de præuentione moderanda debet præstare fideiussionem de comparendo personaliter tempore publi. cationis faciendæ in cau. sa dictæ præuētionis, & de soluendo debitum, & pænam in casu succumbentiæ; & si debitor præueniens, nō habet fideiussores in loco Iudicij, potest impetrare à Iudice, vt cōmittat officiali illius loci, in quo habet fideiussores, quod illos recipiat] idone. os nomine ipsius Curiæ, & captam transmittat ad locum Iudicis, quæ omnia fieri debent, antequam Creditor citetur supra dicta cassatione instrumenti, quæ præstatio fideiussionis, cum sit præparatoria Iudici præuētionis, non posset postea fieri talis cōmissio de recipiendo fideiussores extra locum Iudi. cij, *vt per Afflit. decis.* 137. *num.* 1. *per totam.* Quæ fideiussio est præstā da spōtè, etiam si a parte non pe. tatur, per illa verba, quæ ad sunt in dicta *Reg. Prag.* quæ incipit: *Malitijs hominum*, dum dixit (prius) quia illa verba prius dant forma specificam, & forma,, quæ debet præcede-

re

re eſt de ſubſtantia, & nõ poteſt ſequi, vt per *Felyn. in Cap. Cum dilecta de reſcriptis*: & ſi præuentio fuerit facta ſine præſtatione fideiuſſionis non impedit liquidationem inſtrumenti, & carcerationem, tamquam non formiter facta; & de omnibus videte *Galterium de liquidatione inſtrumentorum 3. part. 2. partis principalis, Rub. fuerit ab eo præuẽtus à nu.* 10. *vſque ad* 20. In qua autem Curia, & coram quo Iudice facienda ſit præuentio, idem
9 *Galterius eodem citato loco num.* 8. dicit, quod debitor præueniens dicitur actor, & Creditor præuẽtus dicitur Reus, & Actor debet ſequi forum Rei, pro vt in interdicto, ſeu remedio *l. Diffamari de ingenuis, & manumiſſis*; quod optimè explicatur per *Marant. in ſuo ſpeculo Aduocatorũ par.* 4. *diſt.* 21. *Rub. aut in iudicium coactum num.* 19. *circa finem*, vbi multas adducit rationes per multa iura ibi allegata. Quæ omnia intelligenda ſunt, dummodò in inſtrumentis præuẽtioni renunciatum non ſit cum Iuramento; quia ſtante renunciatione debitor non poſſet conuenire ſuum Creditorem, quia aliàs debitor incideret in periu-
10 rium, niſi obtinuerit prius abſolutionem à iuramento; quam abſolutionem poteſt impetrare, quando ſuper ſunt viginti dies termini ſolutionis faciendæ; & ſi concederetur poſt tẽpus prædictum abſolutio, nõ operaretur, vt per *Affl. dec.* 31. *n.* 2. Quæ abſolutio non debet eſſe ſubrectitia, neq; obreptitia. Et quia ſępè ſępius contingere poteſt, quod non ſolùm debitor conſtitutus in inſtrumento renunciauit alicui beneficio, exceptioni, & præuentioni, ſed etiam cum iuramento renunciauit beneficio cum promiſſione nõ petẽdi abſolutionẽ de renũciationibus factis cũ iuramento, eo caſu

non solùm petenda est absolutio à iuramento præstito in renunciatione beneficij, sed est etiam necessaria absolutio à iuramento prestito non petēdi absolutionem à iuramēto. *Bald. & Ioan. de Imm. in l. Hæc scriptura, ff. de condictionibus, & demonstrationibus. Felyn in Cap. debitores extra de Iura iurando, & Afflit. decis. 220. à num. 10. vsq; ad 18.*

Sicq; citatus impetrans absolutionem a iuramento, in supplicatione debet facere mentionem de omnibus renunciationibus, clausulis, & iuramentis præstitis in instrumento ad euitãdum periurium, subreptitionem, & obreptionem, vt per *Bart. in l. Si pro eo, ff. de fide iussoribus. Iason in l. ne quicquã, ff. de officio Proconsul. & in Auth. Sacramenta puber. C. si aduer. Cred. Paulus de Castro in dicta l. Si pro eo, ff. de fideiussoribus.* Circa quam absolutionem à Iuramentis dicã mihi eueni sse in causa citationis sup. tenore instrumēti factæ per q. Margaritam, & Iosephum Cimorelli contra quondam Iacobum Amodeo in hac Principali Curia Ciuitatis Iserniæ in An. 1655. me patrociniante dictum Iosephum Cimorelli contra, & aduersus præuentionem, & absolutionem præsentatam per dictum Iacobum ad impediendũ dictam liquidationem, & & euitandam eius carcerationem postquam succubuisset in hac Principali Curia, appellauit ad M. C. V. in qua de multiplicibus fuit dubitatũ, ad quæ respodenda de Iure factũ est ius in mea Patria, proposui, & misi ad eãdem M. C. V. pro tuendis iuribus dicti Iosephi mei Clientuli cum figuratione casus, modo videlicet.

Allegationes.

11 A dì 16. di Ottobre 1639 Margarita Cimorelli della Città d'Isernia, come madre, e tutrice delli

li figli, & heredi del qu. Gio: Luca Cimorelli di detta Città fè compra di annui ducati 32. per capital prezzo di ducati 400. da Giacomo Amodeo, e dal quond. Francesco de Ciuccio di detta Città insolidum, sopra i loro beni in specie, &c. con obligo in forma di tutti li loro beni, vt ex publico instrumento omni solemnitate vallato, cui &c fol. 54. & 55. copia in papiro f. 76. vsq; ad 81. doue nel principio di detto contratto appare, che detta Margarita interuenne nel contratto à detta compra per essa fatta, come Madre, e tutrice pro eius filijs, heredibus, & successoribus del d. qu. Gio: Luca Cimorelli. Et essendono mācati li d. Giacomo Amodeo, & Francesco de Ciuccio dal pagamento di detti annui docati 32. secondo l'obligo in detto istromento, la detta Margarita con Giuseppe Cimorelli figlio tanto della detta Margarita, quanto figlio, & herede del detto quond. Gio. Luca ex præambulo fol. 16. in process. su, se risolsero à dì 11. di Ottob. 1655. far citare dalla Principal Corte di detta Città d'Isernia super tenore instrumenti in forma probante detto Giacomo Amodeo, tanto per detto Capitale, quanto per le terze decorse di d. ann. docati 32. vt in citatione in processu fol. 55. con la relatione di esser stato citato. A di 3. di detto mese d' Ottobre comparse il detto Giacomo Amodeo con l'assolutione del giuramento, & preuentione, presuponendo per doi articoli di legge annullare detto cōtratto; Primo asserendo, che la vendita fatta fù per vim, & metum illatū per l'Illustr. D. Carlo Greco Duca di Montenegro, come Padrone, mentre il detto Giacomo era Vassallo.

Secondariamente, che tanto esso Giacomo, quā-

to il detto Francesco de Ciuccio n' hebbero il nudo nome in pigliare detti ducati 400. con fare detta vendita, mentre detti ducati 400. li pigliorno instituto nomine per detto Duca, & andorno in beneficio, & vtiltà di detto Duca, vt ex copijs processus fol. 2. che perciò pretende non si possi procedere alla liquidatione dell'istromento contro di esso Giacomo.

Quibus sic præmissis, nos verò partes dictorum Iosephi, & Margaritæ tuẽtes in vtroq; articulo prætensionem dicti Iacobi satis vanã demonstrabimus ex infrascriptis iuribus.

Quoad primum articulum allegatum per Iacobum Amodeo, dicimus secundum *Bal. Doctrinam in Cap. Quæ causa n.6.tit. de his. Quæ vis metusue*
12 *causa fiunt*; metus est passio volũtatis cõtra naturã, quia homo naturaliter est animal liberum, & dupliciter metus consideratur, vno modo dicitur metus cadẽs in virum constantẽ, alio modo dicitur cadens in virum inconstantem.

13 Primus metus dicitur grauis, & probabilis, secundus dicitur leuis, & improbabilis, quia constãtiæ, & fortitudini repugnat, vt ergo metus dicatur cadens in virum constantem, quinq; conditiones interuenire debent.

14 Prima conditio est, vt malum, quod timetur sit malum, *l. metum la 1. ff. de eo, quod metus causa.* vbi Vlpianus ait metum accipiendum non quemlibet timorẽ, sed maioris mali,

Secunda vt timens rationabiliter credat malũ illud sibi imminere *l. Metum la seconda, ff. eodem.*

Tertia vt metus incutiens potẽs sit minas executioni demandare, vt colligitur *ex l. famosi. ff. ad l. Iuliam maiestatis;* ibi nã, & persona spectanda est, an potuerit facere.

Quarta, vt ille sit solitus minas executioni de-

man-

mandare, nec sit ex illis, qui facile minantur, sed deindè non exequuntur, vt colligitur ex dicta *l. famosi, & l. metum, C. de his quæ vi &c.*

Quinto, vt non possit timēs facilè occurrere malis, quæ timentur, quas quinq; conditiones ponit *Sanges libro* 4. *disputatione prima*.

Et in actis non solum non apparent dictæ condictiones, sed nec modo aliquo constat de metu: imò ex testium depositionibus, per dictũ Amodeo productorum, & ad eius instantiam examinatorũ, probatur, che la d. Margarita essendo stata richiesta da parte di detto Illustre Duca, che li dasse d. duc. quattrocento à censo, non ostante, che fù poucra dōna, sopra la quale si può, & deue presupponere ogni meto; con tutto ciò repugnò, e disse nō volerli dare det. denari à Censo. Quomodo ergo est præsupponēdus metus in persona Iacobi Amodei. Cũ potiùs appareat de constantia, & robustitate ditti Iacobi, dum se cautelauit cum dicto Illustre Duce, & idemtidem se reddi fecit, mediantibus cautelis stipulatis inter dictum Iacobum Amodeo, & dictum illustr. Ducem in actis productis *fol.* 10. *à tergo:* vbi etiã apparet, quod dictus Iacobus tractare, & nominare se fecit Dominum, propter eius constantiam, & robustitatem, quam habebat cum dicto Illustri Duce.

15 Sicq, ex hac parte metus corruit, & non præsupponitur, nisi probetur saltem per legitimas cōiecturas. *l. Dolum. C. de dolo, l. Interpositas, vbi DD. C. de Translationibus, Alciatus de præsũptionibus, regula* 3. *præsumpt.* 3. *&* 4. *cons.* 104. *num.* 8.

Et quatenus appareret de metu, per quem fuisset inductus dictus Iacobus ad faciendam venditionē prædictam; ex quo consta-

re

re fecit per testes, per eum productos *f. 17. àter.* spõtaneam solutionem dictorum annuorum ducatorũ 32. dum deponunt, che detto Giacomo ogn'anno pagaua le terze, & si faceua fare riceuute autentiche; per dictã spontaneã solutionem, fuit purgatus omnis metus, vt per *Bald, in Cap. Quæ causæ de his, quæ vi meti cau. fiunt. num. 5. Idem Bal. in l. Cum te in principio, C. eodem tit. Afflit. decis. 336. Decius cons. 438. num. 21. & cons. 219. num. 7. & 10.*

Nec apparet, quod dicta Margarita fuisset conscia, & consensiens in dicto metu tempore contractus; nec apparet de vtilitate dictæ Margaritæ, per quam dictã Margarita præsupponi potuisset, metum inferre fecisse *per tex. in l. Non interest, & ibi Bal. C. eodem tit. quod metus causa.*

Nec in petitione, & libello præuentionis per Iacobum Amodeo porrectũ apparent adimpleta iuris requisita, tàm circa præuentionem pro obseruantia Regiæ Pragmaticæ de præuentione moderanda; ex quo non præstitit fide. iussionem de se præsentãdo, requisitam; quàm circa metum, quia non expressit qualitates metus, quæ cederent in constantem virum, quia non om-
17 nis metus sufficit ad irritandum conrractum, ex Iuribus supra allegatis.

18 Neq; obtulit dictos ducatos 400. Capitalis pretij, quos recepit, restituere, requisitum necessariũ de iure ad hoc vt audiri debuisset circa exceptionẽ metus, *p tex. in l. 3. C. quod*
19 *metus causa*; & hoc tàm in metu expulsiuo, quam in metu cõpulsiuo, vt per *Bald. in dicta l. 3. num. 1.*
Nec obstant ea, quæ dictus Amodeus prætendit, eum non teneri, nec posse contra eum instrumentũ liquidari, ex quo pecunia fuit versa in vtilitatem dicti Illustris Ducis; & quod

so-

sola versio in vtilitatem dicti Illustris Ducis sibi sufficiat ad obtinendum, quia versio, mãdato, & ratihabitioni æquiparatur *l. Ei qui §. fin. Quod cum eo.* Nàm varia per hoc redditur controuersia; cum nec ipse Iacobus, nec Franciscus de Ciuccio contraxerunt nomine dicti Ducis, nec si voluissent, potuissent pro dicto Duce contrahere, cum omnis actus regulatur à voluntate, & potestate agentium, & sine voluntate nihil ad illũ deducitur, & sine voluntate nihil proficitur, vt dicit *Bald. cons. 326. lib. 1.* Et ad hoc vt ex contractu vnius alter teneatur, requiritur voluntas Creditoris, prout erat dicta Margarita, vt voluerit habere dictum Illustrem Ducem obligatum, an prædictos Iacobum, & Franciscum, & voluntas, & potestas obligantis, vt voluerit, potueritq; illũ alterum obligare.

21 Requiritur itaq; volũtas Creditoris, quia si creditor voluisset illum, cum quo contrahit obligare, non posset illum alterum, de quo non cogitauit, obligatum habere, cum actus agentium non operetur vltra intentionem,

22 *l. non omnis, ff. si certum petatur*; & ea persona sibi pateat, quã elegit, & cuius fidem secutus fuit *l. si Creditor, C. si tutor, vel Curator inter l. ei qui, §. fin. C. quod cum eo.*

23 Nec obligatio excedit intentionem Creditoris, quam tempore obligationis habebat *l. qui mutuam & l. eum qui C. si certum petatur.* Et si Creditor vult ex contractu vnius, alterũ obligare, debet apparere, quod contemplatione illius alterius contraxit, & ad eum intuitum habuit. *l. Postmodũ. §. fin. cum glos.* ibi contemplatione pupilli *ff. Quando ex facto tutoris; & in l. An. ff. Pro socio* ibi cuius persona spectata est. *Bart. in l. Si pupilli num. 3. ff. de negotijs gest. Alexãder. Cons. fin. lib.*

7. Nat.

7. *Nacta cons.* 567. *num.* 6. *Capic. decis.* 180. *nu.* 4. Et qui vult habere obligatum
24 dominum ex cõtractu institutoris, probare debet habuisse animum obligãdi dominum ex illo contractu institutoris. *Alciatus in l. Si institutoris ff. si certum petatur. Bart. in l. Si pupilli* §. 1. *num.* 5. *Bald. in* §. *si igitur, vers. Eius rei caus. Institut. Quod cũ eo*; alioquin Dominum non habebit obligatum, cum eius intuitu non contraxerit, nec eius fidem sequutus fuerit, pro ut dicta Margarita, cum in actis appareat, noluisse contrahere cum dicto Illustre Duce. Ita determinat *Petrus de Bellapertica in l. Ei quia* §. *fin. n.* 9. *C. Quod cum eo.* Et vendens alicui nomine proprio, non habet animum obligandi, nisi eum, qui emit; non autem eos, quorum nomine emitur *Bal. cõs.* 125. *lib.* 5. cũ alijs. *per Rot. Gen. decis.* 14. *num.* 93. Requiritur etiam voluntas, & potestas obligatis, vt voluerit obligantis illum alrerum obli-
25 gare *Alex. cons.* 139. *lib.* 5. *& Mant. de ambiq. lib.* 6. *tit.* 22. Nã nemo sine con-
26 sensu suo obligatur. *l. consensu ff. de actionibus, & obligat. l.* 1. *ff. de pactis*, & diuersa est volũtas, vnius à voluntate alterius. *Iason in l. Frater à Fratre nu.* 8. *ff. de conditione indebiti.*

Vnde cũ in casu nostro appareat defecisse volũtatem dictę Margaritæ Creditricis, quia contraxit cũ supradicto Amodeo, & Francisco de Ciuccio, qui interuenerunt pro se ipsis, & eorum hæredibus, nulla facta mentione de Illust. Duce, & vendens alicui nomine proprio, non habet animum obligandi, nisi eum, qui emit, vt supra dictum est *& id. Bald. cons.* 125. *testatur*, & hac eadem ratione dicimus defecisse voluntatem obligantium obligandi Ducem, & habuisse animum obligandi seipsos, & non alios. *Bart. in l. Post mortem,* §. *Tutori, ff.*

ff. Quomodo ex facto tutoris. Et qui interuenit nomine suo, excludit nomen alienum. *Alex. dicto cons.* 139. *num.* 2. *lib.* 5. *& cons.* 76. *lib.* 4. *& cons. fin. num.* 7. *Decius cons.* 98. *& in leg. si socius, num.* 4. *ff. si certum petatur. Bal. in l. iure societatis, ff. pro socio.*

Et quatenus tertio ex parte Amodei posset mutiuari, non esse deueniendum ad incusationem instrumenti ad instantiam Iosephi Cimorelli per mortem Margaritæ, per quam fuit facta emptio prędicta, & cum ea præstitum iuramentum de facie ad faciē cum dictis venditoribus: & quia dictam Margaritā interuenisse, appareat, tutricio nomine pro parte hæredum Io: Lucæ Cimorelli, & non nomine proprio, suis hæredibus; & q tutor tutorio nomine stipulando non possit stipu-
28 lare pro suis hæredibus, & successoribus, & ad eos ius stipulandi trāsmittere, quia contrahentes nomine officii nō obligant nec semetipsos, nec hæredes, *tex. est in l. fin. ff. de institut. act. & in l. fin. ff. quomodo ex facto tutoris.*

Quia posset responderi etiam, eius pręsentationem esse nullius momenti, licet doctrina sit vera, quando contrahentes contrahunt simpliciter in re, prout per-
29 tinente ad pupillum, & solum tutorio nomine: Secus esset, si in contractu alter appareret declaratum contraxisse alienis nominibus, vt per *Bar.* & alios in *d. l. post mortem, §. 1. ff. quomodo ex facto tutoris,* idem *Bart. in l. qui aliena, §. pen. ff de acquirēda hæreditate,* citat. per *Gram. decis.* 103. *nu.* 172. & in contractibus magis spectatur mens contrahentium, quam verba, *l. in conditionibus, ff. de cōdit. & demonstrat. Panorm. cons.* 43. *num.* 4. *pr. parte.* Nam mens hominis etiam ex verbis concipitur, vt ex *Sceuola lib.* 6. *in l. Gallus Aquilius* 29. *§.* 1. *ff. de liber. & posthum. hæred. instit. uel*

ex hæred. & verba ſunt earum, quæ ſunt in anima passionum notæ ex Ariſt. pr. Perhiermenias, prout in præſenti lite apparet, mentem,& verba, Margaritam dixiſse non ad contrahendum ſimpliciter tu-
32 torio nomine, ſed principaliter materno nomine, & incidenter tutorio ex verbis contractus ibi legitima, & naturalis mater,& tutrix. Sicq;non ſimpliciter ſed pluribus nominibus apparet voluiſſe abundare in cautelis pro dictis eius fi-
33 lijs; Cum mater plus doleat de incommodo filii, quam pater, vt dixit Phylosophus, & patet in prouerbio, *cap.10.dum dicitur, filius ſapiens lætificat pa-*
34 *trem, filius verò ſtultus meſtitia eſt matris ſuæ*; Propterea voluit abundare in cautelis, & ſtipulare vti Mater legitima, & naturalis,& vti tutrix, demonſtrādo nomina, quæ habebat; quia ſtante, quod commorabatur in Ciuitate, præſupponi debet fuiſſe informatam a peritis cum Notario, & cætera. Quod poterat ſtipulare pluribus nominibus, vti Mater, prout ſtipulauit,& pro parte eius filiorum,& hæredum, quia mater poteſt pro ſe, & pro filijs querere,& ſtipulare. *Ioann. de Immola in l.is dicitur, num.6.ff.de verb.obligat.Bal.in l.Pactum dotale, C. de Pactis conuentis.* Etiā de pecunia pupilli mater poteſt pro ſe ſtipulare,cum pupillo remaneat vtile, *l. ſi pecuniam,C. ſi quis ſibi, vel alteri, l. ſi curator, C. arbitrium tutelæ*. Ergo contractus celebratus per matrē remanet firmus, & in ſuo robore quoad diſpoſitionem Ritus in perſona Ioſephi Cimorelli filij, & hæredis dictæ Margaritæ, non quoad ſtipulationem, ſed quoad ſucceſſionem, & quod non potuit tranſmittere per ſtipulationem, vt nutrix, ideſt ius liquidandi, tranſmictit, vti mater, ex quo ſtipulauit pro ſe, & pro parte eius filiorum, & hæ-

hæredum, stante quod hæres, & defunctus vna, & eadem censetur persona, & assẽratum est in iure, quod hæres Creditoris possit via Ritus conuenire debitores, vt in tertia Recollectione dixi. Consequens est, quod dicta Margarita, dum stipulauit pro se, adest dictio coniunctiua (&) pro parte eius filiorum, qui possunt, vti filij, & hęredes incusare, & sic si nõ potuit, vt tutrix, potuit tanquã mater transmictere ius liquidandi per ea, quæ arguit *Bal. in cap. ex parte num.* 14. *de appellatione*.

Redditur secundo vana, cum reuerentia, prætensio Iacobi Amodeo, & nullam vim facit eius cõsideratio, quod dicta Margarita interuenit tutorio nomine, quia in dicto contractu habemus exprẹssam considerationem dictæ contrahentis, quæ voluit interuenire pro se ipsa cum illa clausula extensiua (&), quæ est extendẽda ad filios, & hæredes; propterea in pacto rescisorio reseruauit ius liquidandi ad se ipsam; sicq; non est recurrendum ad alias coniecturas, cum sumus in claris, *l continuus*, *ff. de verb. oblig.* & quod apparet in instrumento, dicitur esse certum *Mars. in in rub. de probatione*, *nu.* 3. & hoc etiam dato, quod in principio contractus interuenerit vt tutrix, propter
37 quod vnumquodq; tale, & illud magis, quia ex cõtractu perfecto habito inter partes, interim dum dictatur locus pęnitentiæ; igitur poterat dicta Margarita pro se reseruare incusationem, & stipulare sicuti voluerit *l. contractus, C. de fide instrumentorum*, & præualet nomen matris, quia eius consilium facit cessare omnem suspitionem, dolum, & culpam, quando cum ea in dubiis aliquid tutores pro publico faciũt, vt dicebat *Ias. in l. Polla, C. de his, quibus, vt indignis.*

Nec obstaret si vellet Iacobus apprehendere, ꝙ verbum (eius) positum in

instrumento, vbi dixit pro parte eius filiorum, & hæredum, vt supra minorem dicat relationem ad Patrē, & quod stipulasset tutelari nomine tantum, quia clarè patet, quod dicit etiā relationem ad matrem, & quod voluerit stipulare materno nomine, quia verbum, mater, semper dicit relationem ad filios, sunt enim nomina correlatiua, nam posita matre, ponuntur filii, & è contra. *Ludouic. Gomes. in § superest, instit. de action. n.* 15.

39 Negari non potest quod mater in procreatione filii dicatur radix, filius verò pomum, siue flos *Can. tunc saluabitur* 33. *quæstione* 5. & ibi *Glos. in verbo pomis littera S.*

40 Nec obstabit, quod in pacto rescisorio reseruauit ius liquidandi ad se ipsam Margaritā, & quod non appareāt expressi hæredes, quia tanto magis facit pro dicto Iosepho, quia apparet voluisse stipulare pro se ipsa, & illa, &, posita in dicta reseruatione extēditur ad hæredes d. Margaritæ, etiā si adesset illa, &c. semper pro hæredibus stipulasse censetur, quia sim-

41 plex iuramētum defuncti trahitur ad hæredes, licet non sit iuramenti contractus. *l. pactum, ff. de probat. l. veteris, C. de contrahēda, & committenda stipulatione*, & alia iura adducta per *Marinum Freccia de liquidatione instrumentorum par.* 11. *quæst.* 1. *num.* 14. *&* 15. Quæ quidem iura fuerunt trasmissa ad M. C. V. processus est in Bāca Gagliardi tempore quo erat Iudex Magnif. Cangianus, vir eruditissimus, ad præsens Reg. Consiliarius Sac. Reg. Consilii. benè verum est, quod causa non fuit decisa, tamen quid de iure sentiendum, Lectores cogitent.

Sūt multę exceptiones, quę opponi possunt ad impediēdam liquidationem, & ad euitandum carcerationem; licet statutū dicat, quod aduersus instrumentum

tum

tum nulla possit opponi exceptio, nisi solutionis, tamē admictitur exceptio *l. quod cum eo*, vt qui habeant priuilegium, seu beneficium prædictum, non teneantur, nisi in quantum facere possunt, quia non opponit aduersum instrumentum exceptionem, sed aduersus ipsius executionem, quod relinquatur eis tantū de patrimonio, quod ex fructibus ipsius possit se substentare, *l. qui bonis, ff. qui bonis cedere potest*, quod tenet etiam *Iason. in l. prima, num.* 18. *C. de iuris, & facti ignorantia.*

Verbi gratia cum in aliquo instrumento debitor obligatus sit filius familias vnà cum eius patre, tempore quo conuenitur, reperitur sui iuris, vel per emancipationem, vel per mortem patris, dummodò repudiauerit hæreditatem, vel adiuerit cum beneficio legis, & inuentarii; cum idē sit, ac si renunciasset per *tex. in l. fin. § & præfatam, C. de iure deliberandi*, & ibi *Bal. l. debitor, ff. ad Trebell. l. ita tamē, ff. ad legem falc.* Ratio est, quia filius familias effectus sui iuris per modos supranarratos non potest carcerari pro debitis contractis viuo patre, & vna cum patre insolidū obligatus, quia nō tenetur, nisi in quantum facere potest *l. 2. & l. si ex parte, ff. quod cum eo, & ibi Paulus de Castro, & alij, & Galterius in rubr. aduertat insuper debitor, num.* 47. etiam in instrumentis quarantigijs, contra quæ nulla posset opponi exceptio, vt per eumdem *Paulum de Castro, & alios in dicta l.* 2. Sicque est tantum de patrimonio relinquendum, quod ex eius fructibus possit se substentare, vt per *Bar. in l. qui bonis, ff. de cessione bonorum.* Nec nocet iuramentum, quia ius iurandum non mutat naturam contractus super quo præstitum est, &
43 per consequens non tollit priuilegium filio familias concessum per iuris dispositionem, in quantum face-

re

re potest, & non aliter teneatur, vt per eundem *Paulum de Castro in d.l.2.*

Quod quidem beneficiũ non solum potest opponi ad impediendum liquidationem instrumenti, & carcerationem debitoris, sed
44 etiam post sententiam ad impediendam executionẽ sententiæ, cum sit beneficium inductũ a lege etiã si contractus factus fuisset cum patris consensu, vt idẽ *Galterius in d. rubr.* & ego dixi, in meis obseruationibus ad praxim iudiciariam *D. Andreæ de Isernia cap. 7. de conclusione, num.* 83. & competit multis personis beneficium prædictũ, quarum memini in dictis meis obseruationibus loco citato à *num. prædicto* 83. *vsq; ad numerum* 107. Vbi etiã inuenies, quod licet huic beneficio, *l. quod cum eo*, renunciari possit, tamen renunciatio non solum debet esse specialis, dicendo, *renuncio beneficio legis, quod cum eo*. Ex quo dum se refert ad illam legẽ, quę concedit hoc beneficium, censetur beneficium specialis-
46 simis verbis exprimere, quia relatum est in referre cum omnibus qualitatibus
47 suis, *l. asse toto, ff. de heredibus institut.* quia hoc solum haberet locum in Doctore legum, & sufficeret illa specialis simplex renunciatio. *Rouitus super pragmatica* 1. *ad Sen. Cons. Vell. nu.* 46. vbi adducit rationem, quia Doctor legum præsumitur habere notitiam iurium, & effectuum dicti beneficij, sed in alijs requiritur, quod renunciatio dicti beneficij sit facta specialissimis verbis, idest, quod Notarius certiores faciat contrahentes de viribus beneficij sub hac forma videlicet, licet N. de N. sit benè certioratus, quod propter beneficium, *l. 2. ff. & C. quod cum eo*, non possit abstringi ad solutionem debiti vltra quod facere possit, tamen renunciãdo beneficio prædicto, contentatur, quod eo non obstante teneatur in solidum. *Bal. in l.* 1. *ante finem*,

finem, vers. Tu dic, quod interdum, ff. si quis in ius vocatus non erit.

48 Potest etiã opponi aduersus instrumentum falsitatis ipsius instrumẽti, quæ quomodo sit probanda docet *Bar. in l. in exercendis, C. de fide instrumentorum;* & si in parte instrumentũ reperiretur falsum, totum redditur falsum, & ei non crederetur *l. 2. in fin. ff. de fide instrumẽtorum. & glos. in cap. si ad scripturas 9. distinct.* vt puta si fuisset præsentatum instrumentũ, & petitum liquidari, & exequi via Ritus, quod ex eius facto in parte apparet falsum, impediretur interrogatio, & liquidatio prædicta, quod falsitatis exceptio potest opponi aduersus liquidationem instrumenti, docet *Gramm. cons. ciuili 66. 88. & 95.* Euita-
49 bit etiam carcerationem, & liquidationem debitor citatus quando cum testibus deponentibus in promptu docuerit solutionem, vel aliam allegatam exceptionem; quia Ritus admittit probationem in promptu ad instructionem Iudicis; & ad tollendum Ritus rigorem, & debitor conuẽtus per promptuariã probationem euitet carceres: & propterea vigorè illarũ statim decernitur, quod nõ procedatur via Ritus; nec fiat publicatio depositionum, & proceditur deindè ordinariè, & in iudicio ordinario dabitur terminus ad probandum incumbentia, in quo ambę partes poterunt probare sibi necessaria, quando creditor dicit,
50 quod ipse quoq; vult producere testes in contrariũ, quia omnis dilatio in iudiciis est communis, vt in *Ritu, incipit; Itẽ nota, quod in beneficio, & in l. petendæ, C. de in integrum restitutione cum similibus,* adest etiã *Ritus, Item seruat ipsa Curia quod si.* Quid autem
51 erit, si fuerit conuentum, quod probatio solutionis debiti apparentis per publicum instrumentum, debeat fieri per scripturam,

vel

vel per quinq; testes rogatos, qui deponat interfuisse numerationi, nisi de solutione fuisset confecta scriptura, & admissa, tunc admittitur probatio per duos testes deponentes de solutione debiti petiti, & confectione scripturæ, & de eius admissione, vt in *l. testium, & ibi Paulus de Castro, C. de testibus*; & hoc intelligitur, quando instrumētum fuit necessariò cōfectum ex partium conuētione, & non vt facilius probetur cōtractus, vt notat *Glos. in d. l. testium, & Afflict. decis.* 13. *nu.* 9. *&* 26. Imò pactum positum in contractibus, quod solutio debiti non possit probari, nisi per scripturam, & non
52 per testes, debitor producendo testes in promptu, deponentes de satisfactione, iuxta *Ritum, Item seruat ipsa Curia; & Ritus, itē in causa videtur*, posset dici, testibus fuisse renunciatum, quibus renunciari potest per *Glos. in cap. cum venissent in verbo renūciatum; & in cap. constit.* 1. 2. *in verbo inducit extra de testibus; & Bart. in auth. At qui semel, C. de probationib.* tamen si fuerit per testes facta probatio de solutione debiti, non obstante tali pacto, debitor liberatur, quia pactum prædictum esset contra publicam vtilitatem, & de iure non tenet *Glos. in Auth. Prohibitione mat. §. quia vero. in vers. senet. collat.* 7. *etiam Bart. & Glos in Auth. Iubemus, C. de iudicijs. Alex. ibi num.* 12. *& Iason. num.* 5. qui allegat *Speculatorem, Hostien. & alios*, & idem *Alex. l. quod de bonis, §. frater in principio, ff. ad l. falcid. Soccinus in fallentijs reg.* 439. *quæ incipit, Renūciare iuri suo,* 3. *limitat. & Io: Andreas in cap. si diligēti de foro competenti, dicit communem secundum Iasonem in dict. Auth. Iubemus.* Nam quando aliquod priuilegium, seù beneficium fuit inductum ad publicā
53 vtilitatem primario, etiā cum iuramento renunciari

mi.

minimè potest; sed secundario inductum ad vtilitatem publicam, potest renũciari, prout probatio per testes; & distinguit casus, si fuisset in iudicio, & in contrarijs, verbi gratia, si volo videre probationes Aduersarij ante publicationem, teneor renunciare testibus, & sic renunciando, non debeo amplius audiri in eorũ productione, vt per *Glos. in cap. cum venissent, & cap. constitutis de testibus, & Bart. in auth. at qui semel de probatione*, etiam non renuciando expressè, sed solum percunctando attestationes aduersarij, videor renunciasse, *Auth. de testibus. §. quia vero, 7. Collat. & dicta auth. at qui semel, & ibi glos. in verbo productio testium*, & in practica criminali accusator, seù quæ-
54 relans, si vult videre processum informatiuum ad finem insistendi, & probandi contra inquisitum, non est audiendus, nisi prius renunciet futuris probationibus, prout nec etiam post publicationem factam in causa criminali, seù iudicio criminali, non possunt produci testes ad offensam, sed tantum ad defensam, quia non potest renunciari defensionibus, prout testatur *Follerius in sua Praxi criminali, rubr. fiat publicatio, & Iason. in dicta auth. iubemus num. 7.*

Quomodo autẽ cognoscatur, quod instrumentum sit factum ex conuentione partium, dico, quod cogno-
55 scitur, si in ipso instrumento dicatur, quod sit factum ex partium conuentione, consensu, & pacto; alias in dubio præsumitur factum, vt per id facilius probari possit contractus, ne probationis modus angustetur, quod est notandum, quia multoties errat.

56 Datur etiã debitori confitenti, mediante stipulatione, vel instrumento, exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ duplex est, priuilegiata, & non priuilegiata. Priuilegiata dicitur, quę transfert onus probandi in

Aduersarium, & talis est infra biennium a die confessionis factæ, non priuilegiata, quando quis confessus est, tenetur probare pecuniam non fuisse sibi numeratam, & talis est post biennium; quamuis in huiusmodi exceptione quinquennium fuisset regulariter præfinitum per *tex. in l. in contractibus in principio, C. de non numerata pecunia.*

Dantur etiam alij casus, in quibus diuersum consideratur tempus in hac exceptione, quandoq; competit infra triginta dies, vt quando fit confessio a Creditore ad liberandum, dicta *l. in cōtractibus, §. super cæteris:* quandoq; competit vsque ad quinquennium, vt in minoribus, & absentibus ex iusta causa, dicta *l. in contractibus*, quandoq; in perpetuum, vt in Ciuitatibus, & locis pijs, vt probat *Ripa l. si is, qui bona, ff. de pignoribus:* sicque exceptio prædicta competit confitenti sibi fuisse pecuniam numeratam, ex Principum constitutione inducta, vt indicat *Imperator instit. de litterarum obligat.* ibi, *hoc enim sepissimè constitutum est, quare de illa tantum in C. agitur, in tit. C. de non numerata pecuniā, neq; in ff. consimilem titulum reperies:* & competit etiam cōfitenti litteris priuatis, instrumentis publicis, non solum confitenti simpliciter, sed etiam iuranti, quia
57 iuramentum ex actu suo regulatur, etiam renunciāti huic beneficio, etiam proferenti alia verba ad maiorem cautelam Creditoris, vt si dixerit confessus sum me recepisse, quia realiter habui.

Sicq; euitabit carceres debitor, si fuerit conuinctus vigore instrumenti facti de simplici confessione debitoris confitentis, mutuo recepisse centum, si infra biennium conueniatur, & opponat exceptionem non numeratæ pecuniæ, vt per eundem *Galterium 2. parte tertiæ, & vltimæ part. principa-*

palis, rubr. aut facta liquidatione, in carceres comeatur, num. 10. *vsq; ad* 12. & per iura per ipsum allegata, & etiam *Bart. in l. si ex conuentione, C. de non numerata pecunia*, quia excipitur prædicta ex eodemmet instrumento, & contractu oritur, et causatur, vt per *Alex. & alios DD. l.* 4. §. *condemnatum, ff. de re iudicata, & Afflit. in const. causas num.* 6. *Freccia in* 5. *part. nu.* 17. *in* 7. *part. quæst.* 1. *num.* 2.

58 Quod secus esset, si dicta exceptio opponatur post biennium, quia debitor opponens non euitabit carceres, cum post bienniũ ei incumbat onus probandi, pecuniam non fuisse numeratam, ante vero incumbebat Creditori probare numerationem, secundum *Bart. in d. l. ex conuentione*, fallit si in instrumento sit renunciatum dictæ exceptioni cum iuramento; & si in instrumento appareret de numeratione, fuisse numeratam præsentialiter, & manualiter, & si fuerit geminata confessio, quia, vt a liquido peretur, cessat priuilegium, *Affl. dec.* 110. cessat etiam si debitor cepit cognoscere debitum, soluẽdo partem debiti, quia etiã quod opponatur infra biẽnium, loquendo de exceptione priuilegiata, non obstabit, vt ante *DD. in l.* 2. *C. de non numerata pecunia*, & Debitor carceri mancipabitur, vigore Ritus, donec soluerit, vt supra, verum postea dictus debitor poterit repetere solutum, *Bart. in l. fin. C. de non numerata pecunia*. Hinc factum est communiter in praxi in instrumentis confessionatis, quod ponitur talis renunciatio cum iuramẽto ad excludendam dictam exceptionem impedientem liquidationem instrumentorũ, & rarissimè omittitur.

Sic dicendum est de exceptione rei non traditæ, si opponatur infra triginta dies post contractum debitum per exceptionem priuilegiatam; dicta *l. in con-*

ctibus, §. *sed quoniam*, *C. de non numerata pecunia*; quia *Doctor.* interpetres nomen pecuniæ aduersus tribus nominibus accipi, primò largissimè pro qualibet re in nostro dominio existente *l. receptia*, *C. de constituta pecunia.* secundo sumitur largè pro omnibus rebus, quæ possunt recipere functionem genere suo, vt quæ pondere, numero, & mensura, prout vinum, oleum, frumentum, & huiusmodi, *l. 2. ff. si certum petatur.* Tertio strictè, vt pecunia tãtum numerata, *l. prætÿ causa*, *C. de rescindenda venditione.*

62 Competit etiam exceptio prædicta non numeratæ pecuniæ, etiam ad impediendas obligationes, penes acta stipulatas, vt dixit *Galterius eodem supracitato loco num.* 11. & competit non solùm principali debitori, qui confessus fuit pecuniam recepisse, sed etiam eius hæredibus, *l. si intra*, *C.*
63 *de non numerata pecunia*; competit etiam fideiussoribus, & mandatoribus *l. tã mandatori*, *C. eodem.* Competit etiam Creditoribus ipsius debitoris confitẽtis, dicta *l. tam mandatori*, *& ibi Glos.* exemplo rei principalis, siue voluerit dictus debitor dictam exceptionẽ opponere; siue recusauerit; Sicq; eo inuito competit dicta exceptio omnibus illis, quorum interest quomodocumque, siue conueniantur possessores bonorũ rei, siue contra alios possidentes actionem, per *text. in l. si cui*, *eodem tit.* & debet opponi ex persona rei debitoris, & non ex personis quorum interest. Ratio est, quia pecunia debitori debebat numerari, & non opponenti, alias succumberes in iudicio, vt per *Gl. & DD. in dicta l. tam mandatori*; & dictis personis competit, sicut cõpetebat principali debitori, vt priuilegiata infra biennium, & post biẽnium, onus probandi transfertur in opponentes ad exemplum rei principalis debitoris; & in

actu practico, si vis, quod cum dicta exceptione non numeratæ pecuniæ, concurrat exceptio doli, scilicet doli generalis, prout cõcurrit cum alijs exceptionibus per *tex. in dict. l. si ex cautione*, ibi, *seù doli, seù exceptioni non numeratæ pecuniæ*, quia dolus specialis non concurrit, quia confessio fuit spontanea, & scienter facta absque dolo creditoris: poteris ita opponere exceptioni non numeratæ pecuniæ, quia confessus fuit sub spe futuræ numerationis, & in rei veritate pecunia non fuit numerata: addendo etiam exceptionem doli, petẽdo scienter dolosè pecuniam à se non fuisse numeratã, licet tempore confessionis Creditor non fuisset in dolo, est nunc in petendo quod non numerauit.

64 Euitabit etiam debitor liquidationem, & carcerationem, si instrumentum præsentatum per Creditorem, non esset publicum, & authẽticum in forma probante cum solemnitatibus enarratis in prima Recollectione, & si non esset liquidũ per se, vel per aliud instrumentum separatum illiquidum, primũ per ea, quæ diximus supra in secunda Recollectione; sicuti si vnum instrumentum potest liquidari per relationem ad aliud, ita etiam potest illiquidari, vt in Ritu, qui incipit: *Item intelligitur*. Iste Ritus à contrario sensu Iudex enim debet habere rationẽ exceptionum præueniẽtium ex incontinenti pacto, contractui apposito; quia tale pactum est par cõtractus, *l. fundi partem, ff. de contrahenda emptione*, *Bart. in l. dicta, ff. si certum petatur*, *& in l. cum qui ita, ff. de uerbor. obligat.* Imò pactum prædictum inest contractui, & dat formam actioni. *l. iuris gentium*, §. *sed cũ nulla, vers. quinimmò, ff. de pactis*; & solùm intelligitur de pacto incontinenti apposita, etiam de interuallo, quia apposita ex inter.

teruallo, prosunt ad excipiendum *l. in bonę fidei, C. de pactis.* Et aduertendum est, quod debitor habens per quod creditoris instrumentum illiquidatur, debet illud in forma publi-
66 ca præsentare, quia eo modo, quo, debet illiquidari, cum sit eadem ratio, eadẽ debet esse dispositio, & idem ius statutũ. *l. illud, ff. ad l. Aquiliam,* quia vnũ per aliud instrumentis incompatibilibus derogatur. *Decius in cap. ex parte lo secondo, decima tertia fallentia de officio delegati;* nisi essent scripturæ forenses, veluti obligationes penès acta, testium attestationes, vel confessiones partium factæ in iudicio inter easdem personas, quia possunt præsentari, & produci in carta bambacina, cum fide Actuarii; Ratio est, quia acta iudicialia probant, vt per *Abb. in cap. per inquisitionem de electione; & Io: Andreas in cap. 2. de edendo;* Nam cõstitutio *instrumentorũ robur:* quæ disponit, quod instrumenta debent esse in forma probante in pergameno præsentari, loquitur de instrumentis propriè, & strictè, quorum appellatione non continentur acta iudicialia; nec extenditur ad acta prædicta, vt per *Glos. & Bart. in l. 1. §. 1. de edendo;* Nec acta iudicialia requirunt testes ad eorum validitatem, vt requirunt instrumenta. *Glos. Innocentius, et DD. in cap. quoniam contra de probationibus. Decius in l. emancipatione, C. de fide instrument.* dummodò vt supra dictũ est, acta sint facta inter easdem personas, alias non probarent. *Bar. in l. 1. C. quorum bonorum. l. is apud quem, & ibi notata, C. de edendo, Felin. in cap. causamq; de testibus, & attestationibus, cap. qualiter, & quando, il terzo, §. final. de accusat.* Verum testium depositiones non probant, si non sunt publicatæ. *Bar. in l. gesta, C. de re iudicata, & Felin. eodem citato loco, num. 12.* Imò nisi

facta

facta esset cõclusio in causa, quia ante conclusionem testes possunt repulsari, & eorum dicta, & personæ reprobari, quia testes reprobati habẽtur, ac si nihil dixissent. Ita *Andreas de Isernia in constitut. Regni vsurariorum*. Nec dicitur perfecta probatio, quæ fit per testes reprobatos. *Paris de Put. in contractu sindic. in verbo, & an si qui, nu.* 18. *cum sequenti. Bart. in l. cum*
69 *probatio, & l. Matris, C. de probationibus. Bart. in l. Maritus, ff. de quæstion.* Nam repulsa respicit defensionẽ causæ, secundum *Bart. in Estrauaganti ad reprimendum in verbo, & figura iudicij*.

70 Sicq; per scripturas prædictas illiquidatur instrumentum præsentatum per creditorem, quia productio instrumentorum, vel scripturarum prædictarum per quæ fit per Creditorem modo prædicto, dicitur probatio in promptu, & in continenti, vt per *Ritum* 174. *quæ incipit: item seruat ipsa Curia, quod si aliquis, & Franch. dec.* 279. *num.* 1. *& Carauita eodem prædicto Ritu, Galterius* 2. 3. *partis, rub. aut facta liquidatione, vbi num.* 47. habetur, quod
71 impeditur liquidatio instrumenti, etiam per reuelationes habitas per litteras monitoriales, copia authẽtica præsentata, testantium de solutione, vel alio legitimo impedimento, non obstante, quod testes non sint iurati, quia in Regno fit probatio extra iudicialiter per clausulam Prag. sine figura iudicij.

72 Hic etiam potest dubitari an per præsẽtationem, & per quietationes, seu per solutionem debiti cum fide, & signo Notarij, debitor euitabit liquidationẽ, & carcerationem propter auctoritatem Ritus, & videtur dicendum, quod non sed *Afflict. in Constitut. Ba. iulos omnes, num.* 56. dicit, quod cautela, quod quando testes, qui interuenerunt in contractu quietationis, sunt viui, de æquitate

te

te copia debet admitti, cũ de rigore iuris æquè non probat, sed debet testis examinari facere. Aduertũt *Galterius 2.part.3.& vltimæ partis rubr. atq; ijs dis-*
73 *cutiantur, nu.19. Carauita in nostro Ritu 166.num.58.* exceptionem simulationis in promptu probatam impedire liquidationem, & carcerationem, & cum sint multę species simulationis, vt per *Bart. Bal. & Salicetũ in l.3.C. de post.* & inter alias est quando causa vera tendit ad diuersum, seù cõ-
74 trarium effectum cum causa expressa in instrumento, vt in *l.empti fides.C. de contrahenda emptione, & l.emptione, C. plus valet, quod agitur cum similibus*; vel quando de nullo fingitur aliquid, vt in *l.imaginarias, ff. de regulis iuris*; & quicumq; dicit, instrumentum simulatum, siuè agendo, siuè excipiendo, debet semper dicere, qua specie simulationis sit simulatum instrumẽtum, taliter quod Aduersarius reddatur certus, & nulla alia declaratione facta, ille contra quem dicitur simulatum, debet
75 opponere, quod illud, quod dixit de simulatione est oscurum, in *l.1.ff. de edendo*. Et id quod dicitur de agente, idem est de excipiente, *l.Titius textores, ff. de leg.1.* quod aduertendum est in Praxi, quia si vis obtinere, siuè agendo, siuè excipiendo, & opponendo, debes exprimere speciem simulationis, & causam, & radicem dictæ simulationis, & illas probare, alias succumberes, vt
76 per *Bart. in cons. quod incipit, Petrus Nicole*. Nam instrumentum simulatum nõ est propriè instrumentum, sed tantum habet figur, & sufficit probatio in promptu per duos testes, secun-
77 dum *Paulum de Castro in l.testium, C. de testibus*, quia lex præsumit instrumentũ verum, & non fictum, nec simulatum; & sic simulatio, & fictio non præsumitur, nisi probetur, *l. si Maritus in fin. ff. qui, & a quibus.*

Nec

78 Nec instrumētum fictum continet instrumentū verum dicta *l.imaginarias,& l.necdum,ff.de contrahēda emptione*: Imò instrumen-
79 tum simulatum, cum deficiat in substantia, nec nomen instrumenti meretur. *Bal.in l.cum precibus, C.de probat. Paulus de Castro in d.l.Testium;* etiam si super contractum simulatū fuisset interpositum decretum Iudicis, quod contractus fieri debuisset; quia eo non obstante potest allegari, & probari simulatio, vt per *Speculatorem in tit. de emptione,& venditione,§.nūc dicendum,Bal.in rub.C.qui admitti*; Ratio est, quia vbi adest simulatio, ibi non potest esse cognitio, ergo decretum nullum, *l.cum hi,§. si pretor,ff.de transactionibus,l.cum verò,§.subuintū, §.de fidei liber. Decius in cap.ex parte il 2. 12.fallen. de officio delegat.* Idem *Galterius videtur limitasse, num. 20. eodem loco,* si in
80 instrumento adesset clausola solita opponi (omnia, & singula in instrumento contenta esse vera, & iuramentum, vt per notata, per *Vrsillum ad Afflict. decis. 263. nu 4.* ad quem lectorem remitto.

Et si in instrumento appareat, exceptioni simulationis renunciatum; tunc talis renunciatio declarat intentionem renunciantis, quod non intendit dicere cōtractum simulatum; sed si appareant legitimæ causæ simulationis, & indicia, tunc admittitur ad probādum, quia ea ratione, qua contractus probaretur simulatus, eadem ratione hæc renunciatio, vt arg. *text.in l.doli, vers.si diuersum,ff.de nouat.& ibi Bar. & DD.in dicto cons.Petrus Nicole in fine:* Et quando in instrumento renūciatio reperitur simulationis, de-
81 bes opponere, & dicere, vt supra dictum est, causam, speciem, & radicem simulationis, & addere etiam, & quicquid in eo continetur; & sic intelligitur etiā fieri mentio de renuncia-

P tione;

tione; nec Actor poterit replicare de renũciatione. Ita *Bart in l.nemo potest, ff. de leg.1. & propriè in vers. An renunciatio exceptionis simulationis, &c.*

82 Datur etiam exceptio hostica, quæ est maximi momenti ad impediẽdam liquidationem instrumẽti, & carcerationem debitoris, ex eodemmet *Galterio in rubr. audiantur excusatores, num.17. & in rub. verum debitor de persona compareat, nu.22.* Et istam habent existentes in bello, ne conueniantur ciuiliter, vel criminaliter, cum hac distinctione, vt vocati à Principe, veluti Duces, & Centuriones gaudeant ista exceptione ante, & post bellum per quindecim dies, idest post redditum. Alij verò qui sponte proficiscũtur ad bellum suis proprijs, non gaudent dicta exceptione hostica, quia tantum faciunt ad euitandam pœnam; at illi qui fuerunt submoniti a Rege, & docent de submonitione per fidẽ, seù litteras Præfecti exercitus, gaudent dicta exceptione hostica, per Regni nostri Constitutionẽ, quæ incipit, *Hostici exceptionẽ*. De alijs verò circumstãtijs ad prædictam exceptionẽ explicandam spectãtibus, remitto lectores ad *Follerium in sua praxi criminali, in rub. Audiantur excusatores, à num.21. vsq; ad 24.* vbi habetur, quod exceptio prędicta opponi potest per principalem, sicuti omnes exceptiones, vsq; adhuc per nos explicatę; licèt multæ aliæ sunt exceptiones, quæ per principalem opponi possint ad impediẽdam liquidationem, & carcerationem Creditoris; tamen breuitati studẽdo sufficiant pro tyronibus instructione, videbimus breuiter de aliquibus exceptionibus, quæ opponi possunt per Procuratores, vt est etiam exceptio hostica, quæ etiã per Procuratores opponi potest.

Hinc est, quod & si personaliter instante Creditore,

re, vel Creditrice, Reus, vt supra dictum est, teneatur personaliter comparere, tamē potest per amicū, consanguineum, vel Procuratorem excusari, quia licet causæ præsentationis instrumentorum sint criminales; & in eis, vt supra dictum est, non admictatur procurator etiam ad media
83 caussæ, tamen admictitur ad excusandum, allegandum absentiam, infirmitatem, vel carcerationem citati, vt per *Ritum M. C. Vicaria 267. incipit, item si aliquis, vel aliqua ciuiliter, vel criminaliter, & dictus Ritus noster incipit item si aliquis ciuiliter, vel criminaliter*, similiter admictitur Procurator ad excusandos, & defendendos vltra denarium numerum, non obstante, quod sunt causæ
84 criminales, vt per *Capitulum Regni stud. 204. in ordine, sub rubr. quod in causis crim.* quia numerus denarius, seù decem facit vniuersitatem, quę cum sit persona ficta, & non habeat corpus, neq; animam, vt supradictum est; & sic solum nomen iuris, non potest personaliter comparere. Hic per *D. Carauitam in nostro Ritu 166. num.* 14. inuenta fuit cautela ad maiorem Creditorum securitatem, quando pro vniuersitate obligati essent aliqui ciues proprio, priuato, & principali nomine, vt assolet fieri, & maxime hodiernis nostris temporibus ad euitandas discussiones, possunt omnes citari etiam si essent mille in pluribus citationibus, ita vt quælibet citatio contineat nomina nouem hominum obligatorum, & sic omnes tenentur personaliter, & nō per procuratorem comparere, nisi ad excusandum, vt supra dictum est. Et ita etiam testatur idem *Galterius rubr. aduertat insuper ad debitorem à num.* 41. *vsq; ad* 43. & dicta excusatio debet proponi tam per Procuratorem, amicum, vel alium consanguineum, quando debitor vocatur in banca

per Tubittam, Curia pro
Tribunali sedente, & præ-
sentari petitione, in qua
exponat, seù narret cum
iuramento, dictum debito-
rem domi citatum, tam tẽ-
pore citationis, quam an-
85 tea, & postea fuisse, & esse
absentem a loco, in quo
fuit citatus, & reperiri in
longinquis partibus, & Ci-
uitatibus, siuè terris, & ex-
cusando ipsum petat non
procedi ad aliquem actũ,
seù contumaciam, vel con-
demnationẽ, sed petit con-
cedi competentem dilatio-
nem ad certiorem facien-
dum, seù denunciandum,
& comparere faciendum;
& Iudex audita excusatio-
ne proposita, tenetur reco-
gnoscere relationem cita-
tionis exequutæ per Nun-
tium; & si verè, & realiter
appareat, reum debitorem
fuisse domi citatum, tene-
tur in præfigere compe-
tentem terminum, secun-
dum distantiam locorum
ad denunciandum, & com-
parere faciendum; & quod
interim citatio nõ expiret,
vt per *Afflict. in cõstitutio-
ne Regni, quę incipit, hostici
exceptione, nu.* 4. & est no-
tandum, quod locus in quo
allegatur, debitorem repe-
riri absẽtem, debet per eũ,
qui excusat, cum iuramen-
to nominari, vt idem *Gal-
terius rub. Audiantur ex-
cusatores, num* 7. *& num.* 8.
dat formam libelli faciendi
circa excusationem peten-
dam; & demum *num.* 9. po-
nit formam decreti faciẽdi
per Curiam, in qua pręsen-
tatur comparitio excusa-
tionis, quod dicit, non pro-
cedere, quando absentia
apposita esset malitiosa, vt
præsumitur, si debitor scie-
bat, se citaturum, antequam
citaretur, se absentasset, vt
probatur in *Cap. si aduer-
sarius extra de eo, qui mit-
titur in possessione causæ rei
ser.* & ibi *Abbas in pen. col.
& Innoc.* dicit, quod quo-
tiescumq; quis tenetur ali-
quid facere, & abest, præsu-
mitur malitiosè abesse, vt
puta si fuerit debitor cita-
87 tus personaliter, & debitor
se absentat, quia scit, quod

debet personaliter compa-
rere,& non vult,dolus prę-
sumitur,sed solum absentia
admitteretur in citato do-
88 mi.Nec admitteretur,si es-
set absentia procurata, seù
affectata, vt per *text. in l. spadonem,§.est autem, ff.de excusat. & Glos. in l.scire oportet, §. sufficit, in verb. nocentes. ff.eodem, & l.2.§. fin.ff.ex quibus causis.* Et si
creditor contradiceret, ꝙ
allegata absentia non esset
89 vera, decernitur; quod ca.
piatur informatio, & con-
stito,quod dilatione mini-
mè gaudeat; ita *Galterius eodem citato loco*. Et si ex-
cusator dicat in libello, ꝙ
nesciat, vbi debitor citatus
reperiatur,Iudex debet sta-
tuere terminum ad denun-
ciandum suo arbitrio, & si
minus statuit tempus re-
spectu loci, vbi est absens,
lex supplere debet,arg.*l.4. §.si quis, ff.de re iudic.* licet
Affl.in Cōstit. edict. ponat
aliam practicam, sed pro-
cedit, quod ipse dicit quā-
do ex fama potest sciri,
vbi sit, & sumus extra du-
bium, quia loquitur, quan.
do nullatenus scire potest:
& si elapso termino statuto
per Iudicem, idem excusa-
tor compareat, & dicat se
diligenter perquisiuisse, &
non potuisse inuenire, &
petat iterum prorogari, &
denuò concedi alium ter-
minum; tunc Iudex debet
procedere contra citatum,
tamquam contra cōtuma-
cem, nec tenetur denuò
terminum impartiri, siue
veniat, siue non. arg. *text in Auth. qua in Prouinci a C. vbi de crimine agi oportet*; & sufficit in Regno, ꝙ
absentia allegetur cum iu-
ramento, absq; quod pro-
betur, vt in *Constit. Regni edictorũ*. Nec allegans cau-
sam absentiæ tenetur ca-
uere de præsentando reũ,
90 vt in *Cap. veniens de accusationibus, & notatur in l. in eo,ff.de regulis Iur.* Quæ
quidē absentia multiplex
dici potest ex *Claro in §. fin.quæst.34.* & non solum
allegata absentia, citatus
non fit contumax, sed ab-
sentia operatur, vt absens
possit petere restitutionem
in integrum, non ex qua-
cum q;

cumq; absentia, sed ex vrgenti aliqua necessitate, vt *Sfortia de restitutione in integrum, pr. parte quæst. 6. art. 1. num. 2. vers. & ego restitutiones omnes*, quæ maioribus conceduntur, ex eo concedantur, quia necessitate aliqua irreparabili impediti, rebus suis superesse non possunt, & *tex. in l. sed & si. 26. in ordine in fine, ff. ex quibus causis maiores*, inquit, quod quotiescumq; quis ex necessitate, & non ex voluntate abfuit, dici oportet ei subueniendum, & in *l. Reipubl. 36. ff. eodem* eos tãtũ dici Reiplub. causa abesse, q̃ coactè discesserũt, & in ijs hæc restitutio habet locum, qui ex necessitate coacti discesserunt, & si noluissent excusari, non potuissẽt; quod secus esset, si ex causa sui commodi abesse vellent, vt per *Paulũ de Castro in l. 1. ff. ex quib. causis maiores*. Et si allegaretur absentia pro aliquo, & Aduersarius constare fecisset citatum debitorem excusatum, esse contumacem, & bannitum pro alio crimine, & quod perseueret in contumacia; tunc licet fuerit citatus domi, & allegata pro eo absentia, non debet dari terminus ad denunciandum, & comparendum, quia pro contumace, & bannito nemo loquatur, & claudũtur aures Iudicis, secundum *Pari. de Puteo in tractat. sindicata in rub. furcarum erectio, vers. dicit, Constitut. Regni, num, & est Ritus, qui incipit, Item si aliquis, sub rubr. de contumace, glos. & tex. in l. sed si prætorem, §. sed si dũ, ff. ex quibus causis maiores*. Et si elapso termino ad de-
92 nunciandum, & comparẽdum præfixo, debitor nõ venerit, debet iterum vocari, Curia sedente pro Tribunali, instante Creditore personaliter, vt supra, & efficitur contumax.

Si verò personaliter debitor compareat paratus respondere super tenore instrumenti in iudicio præsentati, & Creditor non curauerit aliter instare ad de-

desatigandum debitorem, poterit ipse debitor requiri facere suum Creditorem, vt certa die compareat ad faciendam liquidationem, & si non venerit, Iudex licentiam prestabit debitori, qui amplius non tenebitur comparere, nisi iterum citetur; vel poterit debitor accusare contumaciam in fine dilationis contra creditorem agentem, & ex cõtumacia actoris debitor licentiam obtinebit, vt in *Ritu, qui incipit, Item nota, quod si fecit citare*; & non poterit debitor iterũ conueniri, nisi actor refecerit expensas, vt in *l. edictum, ff. de iudicijs, & Afflict. in Constitut. Regni, sponte volente, nu. 6. & ibi Andreas de Isernia.*

Et si debitor citatus esset exul, vel relegatus, ex quibus non posset debitor accedere ad Ciuitatem, in ijs casibus, si afferat fidem
94 exilij, & relegationrs, vel sententiam condemnationis, non condemnabitur, & excusatio debet admitti; & pendente exilio, vel relegatione, super sedebitur; ita quod nec in bonis contra debitorem fiet executio *l. relegaii, ff. de pœnis*, & idẽ *Galterius eodem citato loco, num.* 18. Ratio est, quia postquam quis fuit cõdemnatus pro aliquo crimine in exilium, vel relegationem, nemo potest ei dare comeatum, vel recomeatũ, nisi solus Princeps ex aliqua causa, vt in dicta *l. relegati*; & propterea exul, siue relegatus citatus, comparere non tenetur, nisi habita à Principe dispẽsatione.

Et non obstant contraria per rationem, quod nemo debet consequi commodum propter delictum, & dolum, *l. 2. §. simili modo, ff. si quis caut*; quia verum esset ante condemnationẽ
95 exilij, seù relegationis, quia postquã quis fuit condemnatus in iudicio, sistere non potest, & exul, seù relegatus potius tenetur obtemperare exilio, quam citationi super tenore instrumenti absq; Principis dispen-

pensatione, dicta *l. Relegati*. Neque instrumenta habent paratam executionē, nisi seruata forma statuti, seù nostri Ritus, nisi in duobus tantum casibus, videlicet quando debitor citatus est reputatus contumax, vt *in Ritu, qui incipit, Item nota, quod qnando volens*, & in *Ritu item quod si debitores citati*. Et quando facta esset interrogatio, seù liquidatio instrumenti in præsentla debitoris, & creditoris, vt in dicto Ritu, quia alioquin tolleretur debitori citato defensio; & ideò ex quo exul per supradicta iura non potest comparere, nec potest contumax reputari, nec potest fieri executio instrumenti contra exulem, & contra eius bona ex dispositione dicti Ritus; nec est incipiēdum dictum iudicium, ab executione, *l. 1. C. de sequestratione pecuniæ, & l. 1. C. de exequutione rei iudicatę.* Sicque durante exilio debet supersederi in hoc iudicio executiuo. Verum si

99 creditor noluerit expectare finem exilij, siue relegationis, debitor posset se defendere per Procuratorem.

Si allegaretur infirmitas debitoris citati, cum sit satis iusta excusatio, seù exceptio, admittenda est per quemcumque allegaretur, seù opponatur, secundum *Innocentium, & post eum Abbatem in cap. veniens, extra de accurationibns, l. si Pretor, §. fin. ff. de Iudicijs, Bal. in l. seruum quoq; §. publicè, ff. de procurat. in 11.*

100 *solut.* Et euitabit reus citarus contumaciam, vt per reginale decretum, de quo meminit *Afflict. in constit. Regni edictorum*: sed ad euitandum contumaciam, non sufficit solum mittere, & simplicem excusatorē ad alligandum infirmitatē per ea, quæ dicit *Abbas in cap. quærelam de Procuratoribus*, quia excusatori nō debet adhiberi fides, *Cap. cum Bertoldus de re iudicata, & Bart. in l. quæsitum, ff. de ra iudicata, & ibi Ioan de Immola*, vbi refert tres opi-

opiniones qualiter impedimentum infirmitatis, & determinat, quod totum remittitur arbitrio Iudicis. Sed in M.C. Vicariȩ obseruatur, quod debet excusator præsentare publicum instrumentum in forma probante, quod talis manet in tali loco infirmus, & in calce ipsius instrumēti Medicus debet testificare, ꝙ ille, qui citatus fuit, est infirmus, & quod ibi non potest comparere absq; periculo suæ vitæ. Ita tenet *Paris de Puteo, de sindicat. in verbo negligentia.* & in hoc casu Iudex debet decernere, quod dictus infirmus citatus infra aliquos dies cō. pareat ad liquidationem faciendam, & interim citatio non expiret; & infirmitas diffinitur, quod si habitus cuiuscūq; corporis cōtra naturam. *l. 1. §. sed si sciendum, ff. de edilitio edi.*
101 *cto*: & quando Iudex dat terminum ad comparendū, debet cōsiderare distantiā loci, & elapso termino, iterum vocatur per Tubittā debitor excusatus, Curia pro Tribunali sedente, instante creditore personaliter, nisi produceretur aliud instrumētum, quod adhuc infirmitas durat, ita periculosa, vt supra dictum est. Quia in his casibus solet fieri prorogatio termini per aliquos alios dies; aliàs si de nouo non produceretur dicta noua fides, seu instrumentum infirmitatis, citatus, si non compareret corā Iudice personaliter, condēnabirur; nec requiritur noua citatio, vt per *Innoc. in cap. dilecti, Gl. in verbo præsentare extra de dolo, & contumacia*; & quandoque obseruaui decerni, quando allegatur infirmitas, quod citatus condemnetur, tam ad pȩnam, quam ad soluēdum debitum cum clausula, quod si per tot dies cōparuerit personaliter ad faciēdam liquidationem deleatur à libro contumaciæ, & pendēte termino supersedeatur in exequendo, tā pro pȩna, quā pro debito; & terminus prædictus etiā

possèt prorogari, si infirmitas adhuc duraret; sed excusator deberet cōparere, cum Curia regeretur pro tribunali sedente, quod infirmitas adhuc duret; & antequam terminus labatur, & ita fiet prorogatio termini per alios dies tot, quibus elapsis absq; alia vocatione debitor remanet cōtumax cōdemnatus. Et hoc est quādo infirmus citatus reperitur extra territoriū, & Ciuitatem, quo casu cōsulat Lector *Pragmat. sub tit. de instrument. liquidat.* quæ præscribunt certam formam, quæ seruari debet quādo allegatur infirmitas debitoris, quia si infirmus reperiatur in Ciuitate, non requiritur instrumentum, sed decernitur, quod Curia accedat ad domum debitoris, vna cum creditore ad faciendam liquidationem, & eo reperto infirmo fit interrogatio, & liquidatio super tenore instrumenti; & siue infirm⁹ debitor neget, siue affirmet, fit eidem infirmo præceptum, quod durante infirmitate non discedat à domo; & quod caueat de se præsentando in carceribus Curiæ, cum primum conualuerit, absq; alia requisitione; prout taliter obseruare feci in causa liquidationis facta in Curia fidelissimę Ciuitatis Isernię ad instantiam Cosmæ Risi contra Eusanium Zampirro in anno 1663. & cum creditor allegasset infirmitatem leuē, feci accedere Medicum ad obseruandum infirmum, Iudice Mag. Francisco Cappone, me assessore in causa prædicta; & habita relatione à Medico, quod infirmitas sit leuis, & non periculosa, decernitur, quod debitor carceretur, non obstante leui infirmitate in carceribus Curiæ, vt per *tex. in d. l. quæsitū, ff. de re iudicata.*

Hic quæri potest, an debitor infirmus domi arrestatus tēpore liquidationis, an possit allegare aliquam peremptoriā exceptionē,
103 vt puta satisfactionem, & dari terminus ad probandum, prout fieret, si esset in carceribus ordinariis Curiæ; & dico quod non debet debitor infirmus audiri

ri, durante infirmitate, & manente in eius domo, loco carceris assignata; quia Ritus noster, prout sonat, debet interpretari, & quia loquitur, quod debitor non debeat audiri, nisi in vinculis, vel facto deposito: sicq; intellexit de carcerato in vinculis Curiæ, *Rouitus*, tamen præfigit terminum carcerato domi per Regiam dispensationem Ritus, & Dominus Prorex poterit dispensare, quod præstita cautione de tenẽdo domũ loco carceris durante infirmitate audiatur in allegatis exceptionibus peremptorijs.

104 Retroscripta exceptio infirmitatis ordinata fuit sub die 21. mensis Iulij primæ indictionis in anno 1378 per Reginalẽ decretum in Ritu *269*. Dubitari possit, an Ritus prædictus excuset a contumacia absentem propter infirmitatẽ propinquorum, & *Carauita* in Ritu prædicto, respõdet, & tollit eifficultatem sopra eodemmet *Ritu*, *nu.* 24. in fine, & dicit, quod Ritus prædictus, loquitur solum de infirmitate ipsius debitoris citati absentis; & licet in casu ommisso recurrendum sit ad ius commune, per *l. commodissimè, ff. de liberis, & posthum.* & secundum *Roluf.* quod si citatus, vt personaliter compareat vellet se excusare propter infirmitatem suorum omnium, tribunali, seù Curia adstantium, moueretur Ritus, & quod in practica non vtimur talibus excusationibus; & quod vix in M. C. Vicariæ admittitur excusatio infirmitatis propriæ citati, etiã si debitor pauper fuerit infirmatus, M. C. V. constito de infirmitate, solet asportari facere ad domum Creditoris, vt suis sũptibus, illum curare faciat; & si Creditor recusauerit illum recipere, & subministrare necessaria infirmitati, consueuit illum licentiare, argum. *tex. in l. 1. §. sed si scimus, C. de latina liber. tollen.* in actu practico instante debitore pauperi, &

fit citatio contra Creditorem, vt veniat ad expensas carcerato, stante paupertate, & quod veniat prima die in Curia ad videndum iuramenta testium examinandorum super paupertate, & capi summaria informatio, & constito per informatione de paupertate, interponatur decretum, quod creditor infra biduum veniat ad subministrandum expensas suo debitori carcerato, aliàs liberabitur, & si infra dictum terminũ non subministrat, interponitur aliud decretum, quod infra aliud biduum subministrat, interponitur aliud decretum, quod infra aliud biduum subministret, aliàs liberabitur: & si incipiat subministrare, & postea desistat, fit decretum, quod continuet, alias liberabitur, & tassatio expensarum solet fieri ad rationem carolenorum decem pro quolibet mẽse in ordinarijs personis, at in personis qualificatis fit tassatio ad arbitriũ Iudicis. per ea, quæ voluit *Iason. in* §. *Item si de dote, num. 7. instit. de actionibus, & allegat l. si maritus in id. ff. soluto matrimonio*; & si non esset tanta miseria inopiæ affectus, & possideret bona ad instãtiam creditoris vltra carcerationẽ,
106 possent etiam expediri litteræ executoriales pro exequendo super bonis debitoris carcerati; quia semper instrumẽtis apponitur clausula illa, quod liceat creditori exequi facere realiter, & personaliter ad eius electionem, itaut vna via electa altera non tollatur, & facta executione in bonis fit mandatum ad reluendum bona executa per *tex. in l. Creditor, C. de distractione pignor. l. fin. C. de iure domini impetrando, l. Debitores, & ibi Glos. C. de pignorat.* & proceditur deniq; ad incusationem contumaciarum in calce mandati ad reluendum, vsq; ad venditionem, & accensionem cãdelę, legitimis subhastationibus præcedentibus

bus; & si non reperiretur emptor, qui iustum offerat prætium, fiet adiudicatio, præuiò appretio expertorum ipsi creditori, vt per *Afflictum decis.* 358. & habita per Creditorem integra satisfactione, soluta pęna, debitor liberabitur è carceribus; & est aduertendum, quod quando fit executio etiam aduersus debitorem contumacem vocatum, & condemnatum in banca iuris, debet executio fieri, seruata iuris forma data per legem à *Diuo P.* §.*de vēditione, ff. de re iudicata.* vbi datur forma, vt primo exequatur in bonis mobilibus, deindè in stabilibus: sed quando proceditur cōtra contumacem debitorē pro debito in instrumento liquido contento ex primo decreto, non potest procedi facere creditor ad venditionem bonorum executorum, nisi transacto trimestri, & interposito secundo decreto, tunc potest procedi facere ad venditionem; & si creditor vellet statim vēdi facere i. legitimis subhastationibus præcedentibus bona executa, inspiciat instrumentum, quod habet debitorem ipsum obligatum, & omnia bona ipsius debitoris cum constitutione, se præcario nomine possidere, reuocet ad se pręcarium appositum in instrumento, illud ad se vocando, & sic poterit vendi facere ex primo decreto, vt supra dictum est legitimis subhastationibus ex primo decreto, non expectato trimestri tē pore; quia præcariū potest quādocūq; reuocare, vt in *cā. præcariæ, & ibi Glos.* 10. *quæst.* 2. Nec potest in contractu opponi pactum, quod præcariū non possit reuocari, quia tale pactum esset illicitum, & vsurarium, & contra naturam contractus, *l. cum præcario, ff. de præcarijs, Bar. in l. vbi ita, ff. de donationibus causa mortis. Glos. Abbas, & DD. in cap. fin. de præcario*; & quādo fit mandatum ad reluendum, creditor facit poni ad dicendum

dum, quare bona executa non debent vendi, stante reuocatione præcarii, vel ad soluendum debitum, & reluendum bona exequuta, quæ reuocatio est necessarijssima, vt in *d.l.creditor, dicta l.fin.*; nam *Afflictus in dicta decisione allegata 358.& 139.num.5.* expres-
108 se determinat, quod sublata hipoteca remanet præcarium, & sic remedium agendi, & durat per triginta annos, vt per annotata per *Vrsillum ad Afflict.in decis.302. num.2.* Et sic cõtumax debitor comparuerit, & soluerit debitum, & pænam, recuperabit bona executa, & præcarium erit resolutum, ac penitus sublatum, vt per *Bart.in l.debitor, ff. de præcario, glos. in cap.fin codẽ tit. & Affl. vbi supra decis.139.* Et si nõ cõparuerit, bona venduntur, vt dictum est, legitimis subhastationibus præcedentibus, non expectato trimestri ex primo decreto. Quod
110 si instrumentum non cõtineat prǫcarium ex primo decreto, non potest procedi ad mandatum ad reluendum, & sic ad venditionem non expectato trimestri per interpositionem secũdi decreti.

Sed Dom. *Galter. aduertit. in 3. parte principali, rub. Exequatur contra contumaces, num.3.* quod licet in instrumentis, & obligationibus nõ appareat præcarium, per dictionem, &c. dicit, quod semper intelligitur appositum, & quãdo intentatur hipotecaria, dicerem, quod debet reuocari præcarium, ita dicit *Vrsillus ad Afflict. decis. 139. num.11. ibi, vel præcarij reuocati.* Et si reputatus contumax vellet se prǫsentare, & allegare satisfactionem, vel quid simile, constituto in vinculis, vel facto deposito, vt supra dictum est, & solùm pǫna contumaciæ, potest causam in vinculis dicere, quia contumax amittit facultatem se defẽdendi, sed patitur læsionẽ in possessione bonorũ pro mensura debiti petiti per

Con-

Constit. Regni contumace, & carcerationem, & manẽte in carcere potest causam dicere, & se defendere: nec posset hoc medio tempore dato sibi termino ad se defendendum, & probandum ad instantiam Creditoris procedi ad executionem, & venditionem bonorum per clausulam illam, quod possit exequi realiter, & personaliter, ita quod vna via electa, altera per alterã non tollatur, & ratio est, quia pendente dilatione officium Iudicis conquiescit, ita, & taliter, quod si pẽdẽte dilatione procederetur ad vlteriora in causa, processus erit nullus, & inualidus ipso Iure ex defectu iurisdictionis, qua carere videtur *l. siue pars, C. de dilat. cap. significant eodem titulo*, & ibi *Bald. & DD. & in l. pen. C. de Arbit. Alexand. & Glos. in lege 1. ff. de feri sebast. Vantius in tract. de nullitate sententiæ ex defectu Iurisdictionis, num. 157. Iason. in l. qui pro tribunali, col. vltima, num. 37. & 38. ff. de re iudicata, Decius in cap. significant, nu. 7. de officio delegati, Maranta in suo speculo Aduocatorum actu 1. 36. pars. partis principalis.*

Admittitur etiam amicus, vel consanguineus, & Procurator ad allegandum carceratioẽ debitoris citati, quia propter carcera-
112 tionem non potest debitor citatus personaliter cõparere: Verum qui allegat carcerationem, debet in promptu illam probare per fidem authenticã in carta bambacina, si debitor carceratus est infra viginti milliaria; si verò vltra per litteras Officialis detinentis carceratum cum sigillo ipsius officialis, vel Curiæ, vel aliter in carta de pergameno; & constito de carceratione debitoris, fit decretum, quod stante carceratione debitoris supersedeatur in condemnatione: & si per Creditorem replicetur, dictam carcerationem fuisse affectatam, seù Procuratam ad euitandum cõpa-

pa-

paritionem; & contumaciam, vt in *cap. Pastorali de officio delegati l. 2. §. fin. 3. & 4. ff. si quis caut. cap. significanti de pignoribus*, & est inspiciendum an talis carceratio ante, vel post citationem, si ante admittitur excusatio, & durante carceratione, nō potest procedi ad contumaciam, & condemnationem; alias si procederetur, contumacia, & condemnatio esset nulla *l. quæsitum, ff. de re iudicata, Bar. in d. l. 2. §. 2. ff. si quis caut.* & ibi *Paulus de Castro, & Alexander in vltima columna*, si verò post citationem, tunc præsumitur affectata, & procurata, & non obstante tali carceratione, decernitur, quod reputetur contumax, & condemnetur, etiam si constat, quod iniustè deteneatur ab aliquo officiali carceratus, & non fuisset carceratio affectata, & procurata, cōdemnatur, & nō admittitur excusatio, vt per *Glos. in dicta l. 2. §. fin. ff. si quis caut. Scaglionem super Ritu* 163. *nu.*

23. *Si verò citatus reperiatur* carceratus in vinculis Curiæ, in qua fit citatio, & tunc non potest contumax reputari, sed proceditur ad interrogationem, & liquidationem, quia quē quæris in Cortijs est, & facta liquidatione, fit empara in i sdē carceribus pro pæna, & debito petito, vide etiam *Carauitam in Ritu 169. a nu.* 14. *vsq; ad* 17. vbi diffuse loquitur de ista exceptione carcerationis, & *nu.* 24. obseruat, quod potest etiam Procurator allegare nullitates ex ijsdem actis apparentes, veluti citationem esse nullam, nam citatio dicitur nulla multis
114 modis, præcipuè quando deficit verbum peremptorium, vel aliud æqui pollēs, dixit *Afflict. in constit. Regni edictorum, num. 2. & 3.* Nam si dicatur in citatione, quod compareat infra tot dies, & si nō comparet, procedetur ad actus incūbentes; in hoc casu non operatur peremptorium, & ibi reperies, quæ sunt verba æqui-

æquipollentia ad operandum peremptorium, etiam cōtra absentem citatio nulla non operatur, *l. vir bonus ff. iudicatum solui.* potest dicere relationem fuisse factam sine testibus, vel die feriat ,& sic de singulis.

Dicitur etiam nulla citatio, quando est expirata, seù circumducta, veluti, si à die expeditionis, seù datæ ipsius sunt elapsi sex menses, vt in Ritu, qui incipit, *Item si quis impetrās cum sequentibus*, vt supra dictum est; & in 4. recollectione num. 13. vel quia non fuit incusata prima cōtumacia, vel quia vltima contumacia non fuit vocata Curia pro Tribunali sedente, infra mensē vnum reseruatum à die primæ contumaciæ, quando citatio fuisset facta in Ciuitate, vel eius districtu, seu territorio; vel si extra Ciuitatem, vel eius districtū, & territorium infra duos menses, vt diximus etiā in dicta 4. recollect. num. 12. & *Afflict. in constit. Regni Accusatorum 4. not.* Esset etiam nulla, si contumaciæ tam prima, quam secunda fuissent incusatæ die feriato, vt in Ritu, qui incipit, *Item quod tam in ciuilibus*, cum plurimis sequentibus sub *rubr. de contumacia*, veluti in die feriato ad honorem Dei, quia causæ instrumentales sunt criminales, vt per *Afflict. decis. 64*: & supra dictum est, & in die festo ad honorem Dei Curia silet; sed in diebus feriatis introductis ad vtilitatem hominum, veluti messium, vindemiarum, nō seruantur in causis criminalibus, quia in ferijs prædictis potest fieri executio instrumentorum habentiū executionem paratam. *Cap. fin. de iudicijs. Bart. in l. omnes, C. de ferijs*; & quicquid dixit *Galterius de liquidatione instrumen. in 3. par. principali, rub. exequatur contra contumaces, nu. 3. & 4.* loquutus fuit de executione sententię factę nō die feriata, non autē de incusatione cōtumaciarū.

115 Admittitur etiam ad allegandum instrumentum nullum, si procurator compareat tempore, quo Curia pro Tribunali sedente, instante Creditore, fit lectura instrumenti, quia suspenditur condemnatio, instrumento reperto illiquido per eius lecturam, ex defectu solemnitatum, & substantialium, vt si in instrumento nō adsint solemnitates enarratæ in prima, & secunda recollect.
116 quia quando deficiūt solemnitates, & substātialia, non dicitur verum instrumentum; nam *Constit. instrumentorum robur*, loquitur de instrumētis validis, prout ita testatur *Afflict. decis. 21. num. 13.* vbi habetur, quod statutum faciens mentionem de scriptura, debet intelligi de valida, & citat *Bart. in l. Traianus, ff. de testamētis.* Potest etiam opponere, quod non sit stipulatum de facie ad faciē, cū quo agit, vel quod Creditor, qui agit sit minor, &
117 non possit esse in iudicio sine tutoris auctoritate, vel interuentu Curatoris, de quibus omnibus sup. enarrauimus. Et in omnibus prædictis exceptionib' suspenditur condēnatio debitoris, quia ritus prohibet agi vigorè instrumenti inualidi, & non publici sine requisitis, per dictam nostri Regni *Constitutionem Instrumentorum robur*, & alia Iura allegata in prima recollectione, & in nostro ritu 166. ibi, *Publica instrumenta appareant*, quia est est data certa forma agen-
118 di in hoc iudicio extraordinario, quæ forma est de substantia, & debet ad vnguem obseruari per litigatores, per ea, quæ testatur *Felinus in cap. cum dilecta de rescriptis in vers. sextum signum.*

Sed nō admittitur Procurator ad allegandum illiquiditatem apparentē ex eodemmet instrumēto per Creditorem præsentato, quia Creditor illud non potest impugnare, stante quod per ipsum Creditorē

fuit

fuit præsentatum, & per consequens approbatum; & ideo admittitur Procurator. Nec admittitur Procurator ad allegandum exceptiones requirentes al-
119 tiorem indaginem, non apparentem in promptu, veluti falsitas relationis, minor ætas, & alias, quia decernitur, quod debitor citatus condemnetur, & eo comparente personaliter, habebitur ea ratio de exceptionibus allegatis, quæ de iure habenda erit, &c.

Tandem pro conclusione huius opusculi, aiendũ est de appellatione, quam solent rei debitores citati ad liquidationẽ instrumẽti interponere, prout ex eodẽ *Freccia de præsentat. instrumentorum, par. 8. num. 22.* habetur, quod à sententia liquidationis possit appellari, & instrumentum, appellatione pendente, non possit præsentari; quod intelligendum est, vt possit appellari à decreto de exequendo, sed ab executione instrumenti secundum formam Ritus, ad effectum retardandæ executionis, non appellatur, vt ex *Galterio 2. par. 3. & vlt. part. principalis, rub. quibus demum probatis, num. 13.* qui citat multos; & testatur etiam *Felinus in cap. quoad cõsultationem de sententia, & re iudicata, num. 13.* Et si appelletur ab inferioribus Iudicibus ad M. C. Vicariæ à liquidatione instrumentorum facta, non fit inhibitio in forma, sed solum mandat trãsmitti acta; per quam inhibitionem non ligantur manus Iudicis inferioris; & interim debitor potest detineri in carceribus. Similiter potest appellari à M. C. Vic. ad Sacrum Consilium in supplicationibus porrigendis, cum ordine, quod M. C. V. relationem faciat in Sacro Consilio de meritis causæ, & interim carceratus appellans remaneat in vinculis, & summatim cognoscatur de grauaminibus. Sed si debitor comparuerit cũ supplicatione Sacri Cõsilij de

sero, supersedetur liquidatio, & pendente tali relatione, ligantur manus Iudicis. Sed citatus appellans debet cauere de comparẽdo mandatis dicti S. Consilij; dummodò talis ordo sit expeditus eodem, vel præcedenti die, quo producitur; & facta relatione, si allegata per debitorem non militabunt, sed solum fuerunt dicta ad dilatandũ, condemnantur supplicans ad pęnam vnius Augustalis, & remittitur causa, qua remissa, bannitur debitor, & si non venit, accusatur fideiussio, & exequitur pro debito, & pęna; & non solum præsentans ordinem Sacri Consilij euitabit executionem instrumenti, sed etiam alij conrei non comparentes, dummodo fuisset expeditus ad instantiam omnium, & vnus ex eis comparuerit tẽpore liquidationis, quo regitur Curia, secus si de sero, quia tãtum per comparentem superseditur, idem *Galterius 2. pars 3. & vltimæ par. rub. verum debitor de persona compareat à nu. 6. vsq; ad* 10.

V.I.D. Marcus Antonius Celima.

FINIS.

ET quoniam ſcio benignè Lector hanc ſatis tractabilem materiam, vti quotidianam à multis magnè auctoritatis Viris, & Doctoribus luculenter traditam fuiſſe; vnde temeritatis potius, vel præſumptionis nota eam denuò retractare præſumerem Ego: ſed amicorum precibus, vt eam ſub breuitatis compēdio reducerem impulſus, & ferè coactus, aſſumpſi opus, & ordinatè per Quinque Recollectiones, quæ mihi videntur magis neceſſariæ ad clariorem, & lucidiorem Tyronum captum, eamdem materiam in hoc præſenti Opuſculo, vt potui, breuiter, ac ſuccinctè retexui, ne ijdem per mendicata ſuffragia ab aliis, qui diffusè de hoc tractarunt, ſtudio, & labore Iuris, & facti veritatem conſequerentur. Atq; hæc pro præſenti opuſculo dicta ſufficiant. Hodie 19. menſis Martij 1668. In Ciuitate Iſerniæ, me V. P. & Gubernatore, ad laudem, & gloriam Omnipotētis Dei, qui eſt vnus ſolus, verus, ęternus, & immenſus, incommutabilis, incomprehenſibilis, ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem perſonæ in vna eademq; eſſentia, ſubſtantia, atq; natura. Amen.



INDEX
OMNIVM RERVM,
Quæ in hoc Opuſculo continentur.

in

Ci-

Ex-

Obli-

Pro-

Quot

FINIS.

